








Phosphorus historiæ veterum fax lucida rerum,
Runarum vindex, Tullius eloquio;
Hoc fuit OLAVIUS VERELIUS *ore, decores*
Ingenii nunquam sculpserit ulla manus.

C. Geringius fecit.

OLAVI VERELII

Assess. quondam Reg. Colleg. Antiqvit. Patr.

EPITOMARUM HISTORIÆ SVIO-GOTHICÆ

LIBRI QUATUOR

ET

GOTHORUM

RERUM EXTRA PATRIAM GESTARUM LIBRI DUO,



Quos è Mscr. una cum auctoris vita ac Catalogo Scriptorum, nec non hypomnematibus ac præfatione Max. Reverendi Lincop. Archi-Præpos.

Dni. Mag. A. O. RHYZELII,

Adjecto necessario indice, propriis impensis edidit

PETRUS SCHENBERG.

Cum Gratia & Privilegio S:æ R:æ Ma:tis.

STOCKHOLMIÆ,
Typis JOH. L. HORRN, Reg. Antiq. Archiv.
TYPOGR. Anno M DCC XXX.
Prostant in officina Russwormiana.



SACRÆ REG. MAJESTATIS
SUMMÆ FIDEI VIRO
REGNI SUIO-GOTHICI SENATORI,
REGIÆ CANCELLARIÆ
PRÆSIDI,
UT ET
ACADEMIÆ ABOENSIS
CANCELLARIO
NEC NON
SOCIETATIS REGIÆ LITERARIÆ & SCIENTIARUM UPSAL.
PRÆSIDI,
ILLUSTRISSIMO atq; EXCELLENTISSIMO
COMITI ac DOMINO
DOM. ARVIDO
HORN
MÆCENATI SUMMO.

SA-

SACRÆ REG. MAJESTATIS

SUMMÆ FIDEI VIRO

REGNI SUIO-GOTHICI SENATORI,

REGIÆ CANCELLARIÆ

CONCILIARIO

ILLUSTRISSIMO atq; EXCELLENTISSIMO

BARONI ac DOMINO

DOM. JOACHIMO

VON DUBEN

MÆCENATI SUMMO.


Illustrissimi atque Excellentissimi DOMINI

SI nomen VERELII, cujus ossa jam diu tegit humus, VOBIS dudum non esset notum, atque, si fas est dicere, tantum non in deliciis, ad celsa limina VESTRA ego, terræ filius, accessum moliri vix auderem. Hoc itaque Verelianum opus VOBIS humillima mente manuque offerendo, datam mihi occasionem Tanta in his terris suspiciendi Nomina impense lætor, quorum inter gloriæ apices etiam singularis clementiæ fulget titulus. Accipite ergo, Illustrissimi Domini, hoc, quicquid est, demissimæ mentis documentum, quod ad pedes

Illustrissimorum atque Excellentissimorum
Nominum Vestrorum

Subjectissimus Cliens
PETRUS SCHENBERG
deponit.

VITAM



VITAM VIRI CELEBERRIMI
OLAVI VERELII

Optime delineatam dedit Nobilis: Claudius Arrhenius Örnhielm in programmate, quod in diem ejus exequialem edidit.



Unus hodie indicimus VIRI, dum vixit, ortu, studiis, peregrinationibus, laboribus, muneribus honoribusque literariis Clarissimi, Domini OLAVI VERELII: *de quo pauca dicere pro more constituimus, rogati vitæ Ejus præcipua carptim perstringere magis, quam narrare. Natus fuit hic Noster anno salutis humanæ MDCXVIII die XII mensis Februarii, in prædio, dicto Ragnildstorp, in Yderensi territorio, Lincopiensis diœceseos, patre Viro reverendo Domino* Nicolao, *ultra annos XXX Pastore Ecclesiæ Dei in Ingatorp; Matre* Botilda, *fœminarum suæ sortis honestissima. Pueritiæ primæque adolescentiæ annos quibus studiis sub cura parentum exegerit, ipsum fuse commemorasse memini in scripto, quo sub Cosmopolitanæ peregrinationis ludicro, satyrarum more, acerba censura vexat mundi hujus historiam, quod inter plu-*

ra Ejus adhuc latet ineditum. Anno MDCXXX, qui ætatis Ejus quartus decimus, post eximios, sub domestico minime inepto præceptore, progressus in bonis literis, ad Lincopensem mittitur Scholam, ubi transacto haud socorditer triennio, secutus institutorem Emundum Lynæum, Livoniam adiit, Dorpati solemni ritu adscriptus numero Academicorum Civium. Illic gnaviter urgens, quæ cœperat, post annum quartum, qui seculi erat tricesimus Octavus, petiit Upsaliam, mira tum Christinæ *bonitate, docentiumque celebritate, caput efferentem supra ceteras. Illic fama eruditionis mox notior, præficitur studiis Nicolai Johannis & Matthiæ fratrum ex illustri Kaggiorum prosapia. Anno MDCXLIV studiorum moderator datur Baronibus ab Orrebolm Axelio & Jacobo Spensiis, fratribus. Anno MDCXLVIII Ephorus & Dux itineris adductus est peregre ituris Axelio Posse & Jacobo Spensio, juvenibus natalium claritudine præcipuis. His comitibus per Daniam & Holsatiam invisit monasterium Westphaliæ, quo tempore pace illic finiebatur bellum Sveco-Germanicum. Inde unitorum inferioris Germaniæ Ordinum perspecta republica, ob insignem eruditionem docentium, aliquamdiu Lugduni Batavorum substitit. Hinc adverso Rheno tendens, & ad utramque ejus ripam posita summæ celebritatis loca lustrans per Helvetiam & Alpes, Italiam, Italiæq; caput Romam, ceterasque illic clari nominis Urbes adiit; aliaque via per Insubres Galliam, Galliæque oculum Lutetiam visens, per annum illic moratus est. Postmodum, stipatus iisdem Comitibus, per inferiora Germaniæ, reliquaque Belgii, quæ ante non viderat, item per Bremam, Hamburgum, Lubecam, nobilissima ad utrumque Oceanum Germaniæ emporia, in quorum postremo, pro pace firmanda, conventus tum agitabatur Legatorum Sueciæ ac Poloniæ, nec non per Balthen nostrum mense Augusto Anni MDCLI ampla auctus*

ctus

ctus doctrinæ experientiæque merce revertit in patriam. Redeunti mox apud Christinam *reginam, Professorum Upsaliensium quidam, quibus spectata Viri virtus & eruditio, locum parabant gratiæ, qua haut difficulter impetrata, sequenti mox anno die 19 Octobris regio diplomate in Dorpatensi florente tum Academia Professor Eloquentiæ constituitur. Quem honorem, ob caussas minime obscuras, mox benignitas Reginæ, sequenti anno die 30 mensis Julii, mutavit Quæsturæ Upsaliensis munere, quo in alterum ante mortem annum perfunctus est. Anno MDCLVIII matrimonio sibi junxit celebrati apud nos nominis Matronam,* Annam Erici *filiam, plurimum Reverendi Clarissimique heic quondam Professoris,* Isaci Istmenii *relictam viduam, ex qua, ante annos jam aliquot præmortua, nullam sobolem susceperat.(*) Anno MDCLXII die 30 Maji Antiquitatum Patriæ Professor publicus renunciatus est. Anno MDCLXVI die 21 Novembris constitutus est regni Antiquarius, & mox anno eodem die 17 Decembris in regio Collegio* Patriæ *Antiquitatum Assessor. Tandem resignaturus Quæsturam die XXIX Aprilis MDCLXXIX regiis literis Academiæ hujus fit Bibliothecarius, quod munus serenissimorum Regum clementia, diu bene meritis Professoribus, post labores Herculeos, velut senii requiem, & curarum portum, constituerat. Literatis his honoribus qua perfunctus sit diligentia, loquuntur scripta* Viri, *partim juris publici facta, partim adhuc inedita, qua etjam integritate ac fide, loquuntur nostrum cujuslibet conscientia. Postrema* Viri *quod attinet, laboribus curisque attenuatum corpus, quinto ante mortem mense, maligna febris quarto quoque recurrens die, invasit, quæ licet aliquando visa remissior, tandem tantum illa attrivit vires, ut festo natalis* JEsu Christi *denasci sensim se agnoverit. Itaque die Johanni Evangelistæ sacra, ad migrandum sacro se corporis & sangvinis Dominici viatico in*

b 2 *stru-*

struens, compositis obiter rebus domesticis, cetera linquens fidei amicorum, quos conditi antea testamenti executores fecerat, abjecta cura seculi præsentis, venturi unice cepit desiderium, circa meridiem lucis tertiæ, annum hunc auspicantis mensis Januarii, placide obdormiens, relictis terrenis, petiit cœlestia, postquam rebus mortalium interfuerat, demtis diebus 39, annos LXIV, uno supergressus magnum Climactericum. Corporis exuvias, ex ædibus ejus elatas, condi decreverunt consangvinei amicique, cras hora post meridiem 1. in monumento saxeo, quod, extra urbem in cœmiterio domus pauperum, ipse sibi vivus fecit exstrui, quas ut frequenti comitatu eo perducatis, Patres Civesque Academici, & qui ad celebrandas hic anniversarias nundinas adestis, domestici urbis cives ac advenæ per egregia Clarissimi viri merita, per humanitatem vestram, per recordationem communis conditionis mortalium, peramanter & officiose rogamini Valete P. P. Upsaliæ ad diem VIII Febr. A. O. R. MDCLXXXII.

(*) Privignum habuit *Johannem Ifmen Renhielm*, cui, antea Martis Alumno, Verelius, vivus adhuc, munus *Antiquarii Regni*, Anno 1675 die 30 Sept., cessit. Obiit Renhielm Anno 1692.

IN MEMORIAM

CELEBERRIMI VIRI ac DOMINI

Domini OLAVI VERELII,

Antiquitatum Professoris & Academiæ Upsaliensis Bibliothecarii.

QUod cura, studio, scriptis, sermone, labore,
Et mira ingenii dexteritate sui,
Temporis antiqui rerum monumenta fidemque
Sedulus amissas panderet Auctor opes;

Quic-

)o(

Quicquid barbaries cœca caligine pressit,
    Condidit aut tenebris, quod tegit omne solum:
Græcia quicquid habet, Veterum vel Roma Gothorum,
    Vel Tagus occiduis occulit amne plagis:
Erueretque pio, quod tanta Verelius ausu,
    Et soboli ignotos sisteret æquus avos:
At patriæ Cives, defunctis civibus ortum
    Redderet, & titulos, stemmata, rura, rogos,
Non potuit *natura* pati, Legisque perennis
    Convelli vetuit jura severa suæ,
Omnia qua jussit semel orta perire, Virumque
    Et Letho & tumulo tradidit ante diem.
Nil peragis natura tamen; quia nomina restant,
    Atque animi ingentes se superantis opes.
Nam qui vitam aliis ex pulvere reddidit ipso
    Hunc frustra in cineres posse redire putas.
Et qui præteritis dedit incunabula seclis
    Hunc fato perimi sæcla futura vetant.

Carminis hujus auctor est Illustrissimus Baro Andreas Liljehök, *Gubernator quondam Ostro-Gothiæ & ad aulam Polonicam Legatus.*



)o(

Sequens Carmen, Svetico idiomate,

In Memoriam VERELII,

Amici sui dilectissimi,

Conscripsit olim Celeber. Professſ.

OLAVUS RUDBECKIUS Pater.

CORONA VIRTUTIS.

Ett lefwer i wår Werld/ när Werl frå Werlden wandrar.
Ett blifwer öfwer Jord/ När Jord Olfs kropp förandrar.
Des Siäl utöfwer Jord förwaras i Guds hand
På Jord än mer deß Lof/ sprids bland mång Folck och Land.

Här stannar jag wandrings man
Och lyster mig se/ hwad här är;
Här ligger then lärde Swea Man Olof Werl/
Som hafwer lefwat i Swea rike fyratusend och 15 år/
Ock är eij äldrigare/ än Sextio ock tre;
Yngst af all sin släkt/ doch äldst/
Then minsta af them/ dock störst.
Han är död/ dock dubbelt lefwandes/
Som hafwer inga barn haft
Ock hafwer dock flera/ än alla hans förfäder woro.
Inga arfwingar/ doch flere/ än många tusend andra/
Them han intet hafwer kändt/ icke heller the honom.
Swea rikes gamla nederfalna Murars grundwal
Hafwer han begynt at å nyo läggia/
Ther på nu mången sköna stenar upmurat/
At then med tiden må färdig blifwa.
Många blinda hafwer han gort seende/
Och the/ som sig inbilla se/
Hafwa blifwit skumögde.

Han

Han är en Runsten/
På hwilken hans grannar hafwa stött sönder benen/
Men the långt bort boende
Hafwa begynt byggia hus ther på/
Och efterkommanderna lära hafwa lust at ther i bo.
Han är på widt belägne orter af the främmande kallader/
Then förträffelige ock uti the gamla handlingar
Kring hela werlden widt berömde Man.
Then gamla Historiens rätta Swenske sañings älskare.
Then aldrig tilfyllest berömde *Verelius*, then alla/
Som här til dags hafwa the Swenska gamla handlingar skrifwit/ öfwergår.
Then diupsinnigt *Verelius*, som hafwer
Wijst andras wilfarelser om then Norska
Apollinis gamla *Upsala Tempel.*
Hans aska täcker och förgömmer nu hans Eld/
Men många lära hans Eld med tiden tarfwa/
Och then ther inunder finna.
Thet wi förmå/ hafwer han kunnat förmå:
Men än hafwa wi intet hint göra/ thet han hafwer gort.
Men hwad är thetta för gåtor?
En menniska/ o wandrings-man/ som intet mera besinnar/
Än thet magan ock skinnet tarfwa/
Och wet allenast/ hwad hos henne ock hennes nästa grannar/
Hwilka tillika med henne lefwa/ förlupit är/
Hon kommer nämre til andra Jordeska Creatur/
Än til Guds beläte/
Ock hafwer intet längre lefwat/ än så widt hennes förstånd
Hafwer nådt/ ock är förswunnen som en ros/
Then kårt tid står/ ock hastigt affaller.
Men then/ som wet hwad af äldsta tider skedt är/

Han

Han är lika ådrig med the tider/
Och hafwer en stor gnista af Guds belåte;
Hwars förnämsta egenskap är/
En obegripelig wisdom/
Som fattar hwad af ewighet skedt/ och til ewighet
Skal ske och ewinnerlig til tiden warelse.
Drotningen af rika Arabien
Hon prisar intet
Konung Salomons tienare lyksalige therföre/
At the fingo upwakta en så stor Konung;
Icke heller therföre/ at the fingo skåda hans 1000 hustrur
Och frillor/ utwalda af alla the skönaste i werlden;
Icke heller therföre/ at the fingo se thet herliga Tempel/
Gud then högsta til ära af honom bygt;
Icke heller therföre/ at the fingo wistas
Uti hans tråffeliga Slott och Palatz;
Icke heller therföre/ at the fingo niuta af thet otaliga myckla
gull och silfwer/
Som war mera än stenarna på gatorna;
Icke heller therföre/ at the fingo gå för honom
Klädde i the blänkiande gullsköldar;
Icke heller therföre/ at the fingo förlusta sig af hans lång-
stiertade markattor/
Och brokota Påfoglar/ som fördes på skepp från Ophir.
Utan endast therföre beprisas the lyksalige/
I ty the fingo stå och höra k. Salomons stora wishet/
Af GUD then högsta honom för alla i werlden gifwen.
Salomon lefwer nu intet
Hwarken genom sina många Drottningar eller gull och
Silfwer/eller härliga Tempel/eller sit kåsteliga Palatz/
Eller sina Gull Sköldar/ eller Markattor och Påfoglar.
Men Salomon lefwer än hos oß

Ge-

Genom sin stora wishet
Och war åldrigare/ än han födð war.
Mera/ o wandrings-man/ uttydes theßa gåtor intet thenna gång/
Tiden lårer thet andra kunnigt göra.
Lef man tu/ som thenna Olof/
Then jag til slut gifwer thetta beröm:
Han swor intet i dag ock bröt thet i morgon;
Han lop intet efter tienst/
Men twenne öfwerlefwererade han androm i sin wålmakt.
Han låt intet smörja sig i handen;
Utan han år stundom worden twålat/
När han har låtit sig wårda om thet gemena båsta.
Råntmåstare war han i 7 och 20 år/
Och likwål intet låmnat någon Ånkia efter sig/
Inga Barn/ ingen Skuld/ inga Rikedomar;
Under öfwer under i thenna tiden!
Någon tack hafwer han wunnit medan han lefde;
Men af efterkommande lår han tusen dubbelt winna.
Hwilket år dock intet mot then Cronan/
Gud then högsta honom bland the wisa gifwit.
Far wål.

Hålt! Wandrings-Man hålt!
År någon/ som frågar efter wisdom/
Ther intet Bröd år at få?
Få.

Sc. BOReas

SCRIPTA
VERELII.

1. EPistola ad Illustrem & Generosiss. D. *Benedictum Oxenstierna* L. B. de Mörby &c. cum Rectoratu suo ad d. 5. Idus Julii anno 1644 decederet, & solenniter Academicæ societati salutem ultimam diceret. Upsaliæ in 4to per Eskillum Matthiæ.

2. Monumentum sacræ memoriæ Reverendissimi D. D. *Laurentii Paulini* Archi-Episcopi consecratum Oratione funebri; Ups. an. 1646 in folio.

3. Oratio Panegyrica, de *Pace Sueo-Germanica*, habita Lugduni Batavorum, ibidemque edita an. 1649, in folio, per Johannem le Maire.

4. Memoriæ Illustrissimi Comitis *Axelii Oxenstierna*, Regni Sueciæ Cancellarii Magni, exiguum pietatis monumentum consecravit. Ups. 1655 in folio. Oratio est funebris.

5. Ad Illustrem & generosum Dominum *Axelium Posse*, de felici in patriam reditu, gratulatio, Holmiæ anno 1651 in folio per Keiser.

6. *Gothrici* & *Rolfi*, Westro-Gothiæ Regum Historia, lingua antiqua Gothica conscripta, quam e MSS. vetustissimo edidit & versione notisque illustravit. Accedunt Viri Cl. *Joannis Schefferi* notæ Politicæ Upsaliæ anno 1664 in 8vo per Henricum Curio. Ipsa historia facit paginas 240; Notæ vero *Verelii* pagg. 104; *Schefferi* iterum pagg. 22, præter præfationem CAROLO XI. t. t. Principi, factam, *Loccenii* carmen gratulatorium, atque Indicem. Huic libro Henricus Curio ad finem monumenta aliquot Runicorum, ex *Johanne Buræo* quondam delineatorum, qui quasi sponsores essent ceterorum suo tempore subsecutorum.

7. Herrauds och Bosa Saga, med en ny uttolkning jämte gamla Götskan. H. e. Herraudi & Bosæ Historia cum nova interpretatione juxta antiquum textum Gothicum è veteri MSS. edita & notis illustrata. Upsaliæ anno 1666 in 8vo per Curio, pagg. 122, præter dedicationem Comiti Magno Gabrieli De la Gardie factam.

8. Fragmentum historiæ Olai Tryggiasonii per Oddum Munk, lingua veteri Gothica conscriptum, publicatum cum notis brevibus, Upsaliæ anno 1665 in 8vo per eundem, pagg. 16; sub titulo: Ett stycke af Konung Olof Tryggiasons Saga, hwilken Oddur Munk, på gammal Götska beskrifwit hafwer af ett gammalt pergaments Manuscripto afftryckt.

9. Historia *Hervoræ* lingua veteri Gothica, cum interpretatione suecica & annotationibus, ibidem per eundem in folio anno 1672 pagg. 194, præter dedicationem Carolo XI. t. t. Principi, Reginæ Hedevigi Eleonoræ, & quinque Senatoribus ac administratoribus regni, indicem seu explicationem verborum difficiliorum in historia occurrentium; sub titulo: Hervara Saga på gammal Götska med Olavi Verelii uttolkning och notis.

Textum quam plurimis in locis correxit ope MSS. & auctiorem dedit Nobiliss. Peringsköldius. Servatur exemplar, hac ratione collectum, in Archivo Antiquitatum. Confer Eum in Vita Theodorici pag. 352. De Hervoræ historia vide Torfæum pag. 58.

10. Auctarium notarum in Hervarar saga, Cl. viro D. Olao Rudbeckio Medicinæ Professori inscriptum an. 1674 ibidem in folio per eundem pagg. 24.

11. Disputatiuncula de Fanin ad Cl. D. Olaum Rudbeckium, Medicinæ Professorem, adjuncta prædicto auctario pagg. 10.

12. Ma-

12. Manuductio compendiosa ad Runographiam scandicam antiquam recte intelligendam : En kort undervisning om then gamla Swea-Götha Runaristning ; ibidem anno 1676 in folio per eundem pagg. 76, præter dedicationem Comiti Axelio Oxenstierna factam.

13. In obitum Domini *Johannis Stiernbök* Holmiæ an. 1676 in folio per Eberdt.

14. Annotationes ex scriptis Caroli Episcopi Arosiensis excerptæ, ex MSS. membranaceo vetusto, nunc primum in lucem prolatæ, anno 1678 in folio, cum notis brevioribus, quas iterum recusit, addita ad lectorem præfatione, Upsaliæ anno 1678 in folio.

De hac controversia inter Cl. *Schefferum* & *Verelium* videas omnino D. D. Ericum Benzelium in annot. seu Prologomenis monum : Eccles. Vet. Suio-Goth.

15. Index lingvæ Veteris Scytho Scandicæ, sive Gothicæ, ex vetusti ævi monumentis maximam partem MSS. collectus, atque opera Olavi Rudbeckii editus Upsaliæ anno 1691 in folio pagg. 305, præter Verelii & Rudbeckii præfationes.

11. Notæ in Epistolam defensoriam Cl. Viri D. Joannis Schefferi Argentoratensis de situ & vocabulo Upsaliæ anno 1677 mense Julio scriptæ, & per Professores binos ipsi oblatæ, Upsaliæ anno 1681 in folio per Curio, pagg. 19.

Interdicto regio anno 1681 die 27 septembris prohibitæ sunt hæ notæ, sub mulcta mille thalerorum argent.

17. Dissertatiuncula de *Hierarchia*, quam edidit, suaque præfatiuncula ornari curavit Junecopiæ anno 1722 in 8vo per Israelem Falchium, *Andreas Gæding* Archi-Præpositus Wexionensis, quæ postea anno 1724 ab anonymo in sueticum translata editaque Revaliæ per Johannem Simonem.

18. Historia Suecana, quæ jam hoc habitu prodit.

19. Li-

19. Libri Epiſtolarum Tres, variis ac eruditis referti rebus ac annotationibus, quos é Mſſ. propediem publici juris facere animus eſt, una cum

20. Coſmopolitana peregrinatione Mſſ.

21. Fortunæ circuitus, ſeu Sejani brevis conſideratio, Johannis Baptiſtæ Manzini ex Italico translatus anno 1646. Mſſ.

Hæcce, quæ *vitam ſcriptaque* Verelii concernunt, exſcribendi ex *Bibliotheca ſua Suio-Gothica*, jam ſub prelo ſudanti, copiam mihi fecit, Ampliſſ. Dom. *Andreas Antonius Stiernman*, Regiſtrator Archivi Regii.



LECTORIBUS ΠΑΤΡΙΔΟΦΊΛΟΙΣ
Benevolentiam & ſalutem precor.

HIſtoriarum lectio privatæ plerumque delectationis atque utilitatis eſt; concinnatio autem & publicatio ad communia univerſorum, vel ſaltem plurimorum, emolumenta dirigitur. Cum *hiſtoria ſit*, Judice Tullio, *teſtis temporum*, *lux veritatis*, *vita memoriæ*, *magiſtra vitæ*, *nuncia vetuſtatis*, adeoque, ad effatum Dionyſii Halicarnaſſei, ἀρχὴ φρονήσεώς τε καὶ σοφίας, i. e. *prudentiæ ſapientiæque principium*: manifeſtum inde fit, tam quô loco habendi ſint ἀνίστορες, nullâ hiſtoriarum cognitione imbuti, quam quid ab illis poſſit exſpectari, qui aſſiduâ veterum annalium perluſtratione ea, quæ bene vel ſecus geſta ſunt, ita cognoverunt, ut, quæ ſibi in omni vitâ ſint facienda fugiendave, dedicerint. Illos, *quod neſciant*, *quæ ante ſe geſta ſunt*, *eſſe totâ vitâ pueros*, i. e. & rerum ignaros & negotiis impares, cenſuit Cicero. Hos vero, quippe qui exemplis præceptisque & inſtructi ſunt & quotidie inſtruuntur, utpote Philoſophos (nam vetus verbum eſt, *hiſtoriam totius Philoſophiæ parentem eſſe*:) & ſuis & publicis rebus adminiſtrandis optime ſufficere conſtat, quod magnam partem lectioni hiſtoriarum acceptum referre debent. Quæ ut hac ratione eſt eis *utiliſſima*; ita inter legendum animos eorum incredibili jucunditate afficit & permulcet. Quem non delectet concinna antiquarum rerum varietas? Cui non perplaceat numeroſa veterum exemplorum diverſitas? Cujus mentem voluptate non perfundat oculis uſurpare, quaſi præſentes, veros rerum & actio-

actionum, ante plura secula gestarum, modos atque eventus? Profectò truncus sit, oportet, qui hisce non delectatur. Unde vetusto Jambico dicitur:

Justissimum est animo historia omnis pabulum.

Ceterum hoc, quicquid est delectationis atque utilitatis, ex lectione historiarum redundans, ut peculiare delicium & commodum, legentibus accidit. Qui autem historias aut conscribunt, aut, ab aliis conscriptas, in publicam lucem emittunt, etiam aliis & quidem, si non universis, plurimis prodesse satagunt, adeòque de publico pulcherrimè merentur. Nam, ut qui consignandis historiis operam impendunt, non sibi & præsentibus aut συγχρόνοις, sed absentibus atque posteris inservire destinant; ita historiæ semel scriptæ, auctoribus suis superstites, non ullis temporum aut locorum terminis continentur; sed beneficio scriptorii calami vel typographicæ artis & ab interitu conservatæ & huc illuc circumlatæ, in qualibet orbis plagâ serâque posteritate legi possunt. Sicut nostro tempore, per universum ferme terrarum orbem, antiquissimi leguntur historici, *Herodotus*, *Thucydides*, *Xenophon* (ut de sacris Vet. Testamenti Scriptoribus & Poetis, Græcis pariter & Latinis nihil dicamus:) aliique, sanctissimâ Christi nativitate priores. Quantum verò commodi ac utilitatis publica res, adeoque universitas generis humani, ex scriptione historiarum semper ceperit & capere possit, paucis explicari nequit: nisi enim literis comprehensæ essent historiæ, nullâ certitudine exempla virtutum vitiorumque aut documenta utriusque fortunæ suppeditarent; & res olim gloriose gestæ, si, qui describerent, nulli fuissent, dudum inter fabulas & commenta essent relatæ. At postquam eas immortalitati stilus historicorum consecravit, perplurimum valent & veritate ad do-

cen-

cendum, & vituperio ad cavendum, & laudationibus, ceu virtutis ſtimulis, ad incitandum. Quas hiſtoriarum, literis conſignatarum, utilitates Poeta graviter ſatis in compendium mittit, cum hiſtoriam laudat,

- - quòd geſtis præſit cuſtodia rebus,
Et det, quod caveas, quodque ſequaris iter.
Priſcaque ne veteris vaneſcat gloria ſccli,
Gaudeat inviſis eruere è tenebris.
Et ſua virtuti dare præmia, & impia rurſum
Sedula famoſis mittere facta notis.

Planius hoc idem in vitâ *D. Antonii* exponit Ennodius: *Ut prœliantes*, inquiens, *adſurgunt buccinis; ut equorum celeritas ad potiorem curſum ferratâ calce provocatur: ita dum majorum virtus ſollicitat, ingenia novella confortat. Qui cana exercitia & veterum geſta relegit, ad diſciplinarum frugem propoſitis laudum præmiis inardeſcit. Imago præcedentis gloriæ, ut ad poſteros veniat, lingvarum* (hiſtoriarum) *catenâ retinetur. Non licet per ætates perire, ſi quid lectio, ſerenis actibus amica, ſuſceperit. Itaque eloquentiæ diuturnitas mortalis naturæ, ſine congreſſionis periculo; vincit anguſtiam; per quam optimorum converſatio, ipſis decedentibus, neſcit occaſum. Reſtituetur quidem corpus origini & deſtinatus á ſuperis Spiritus ad proprium recurrit auctorem: quorum tamen probitas libris mandata fuerit, eorum vitalis eſt obitus.* En! ut hiſtorici, dum monimenta poſteritati conficiunt, & illis, de quibus ſcribunt, & ſibimet ipſis immortalitatem nominis conciliant. Illâ tamen eapropter præcipuè digniſſimi, quod, nolentes ſibi ſolis ſapere, vigorem memoriæ ingeniique acumen hiſtoriis concinnandis, non ſine valetudinis vitæque ſuæ diſpendio, impendunt, quo poſſint quam plurimis & quidem multa poſt ſecula victuris & voluptatem afferre & prodeſſe. In

hoc

hoc autem bene merendi ſtudio atque beneficio ſcriptoribus hiſtoriarum egregiê ſubveniunt atque ſuccedunt, qui hiſtorica aliorum opera vel deſcribenda ſumunt, uti veterum librarii, vel ſolertiâ typothetarum imprimenda curant, quo ea, facili negotio per plurimorum manus diſtributa, ubicunque perlegi poſſint utiliter. Unde non ineptè quis dixerit, per typographicam hiſtoriarum promulgationem exactè obtineri finem, quem conſignatione earum intenderit hiſtoricus. Et, quia conſcriptio neceſſario præcedere debet evulgationem, atque illa exigui uſus eſt, niſi ſuccedentem ſibi hanc habeat; dubium manet, uter, qui ſcribit aut qui in communem uſum emittit hiſtorias, exſtantiori beneficio eruditum orbem patriamque ſibi devinciat: utrumque id facere quam pulcherrime, nemo negaverit, niſi, cui elleboro opus eſt, ut ab invidentiæ & malevolentiæ ægritudine purgetur.

Eximiam hujusmodi meriti gloriæque laurum à Svio-Gothiâ & eruditis extra eam ſibi acquiſivit, dum vixit, OLAVUS Nicolai VERELIUS, qui, ab anno ſuperioris ſeculi M. DC. LXII cum Academiæ antea fuiſſet quæſtor, antiquitatum & veteris Gothicæ lingvæ Profeſſor & ſimul Regii Antiqq. Collegii Aſſeſſor, tandemque Academicæ Upſal. Bibliothecæ præfectus, ad d. 3. Januar. quo pie obiit, anni M. DC. LXXXII, egregiis in lingvam & Archeologiam, adeoque in hiſtoriam Svio-Gothicam laboribus meritisque ita inclaruit, ut ornamentis literariæ Svio-Gothiæ jure accenſeatur audiatque, etiam ab exteris, *celeberrimus antiquitatum Patriæ adſertor*. Natum fuiſſe conſtat in prædio Ragnilstorp, anno M. DC. XVIII, patre Domino NICOLAO Petri, Paſtore, in annum ſeculi ejus M. DC. LXI, eccleſiæ *Ingatorp* in Smolandicâ Nomarchia *Wedbo* ſitæ, cujus Paſtorem nepos hujus

d à ſo-

à ſorore Dn. NICOLAUS Nic. RYMONIUS hodie agit. Poſt ſtudia literarum in Scholis patriis & ad Upſalenſem Academiam gnaviter feliciterque continuata, literaria ad exteras Academias, in ipſam usque Italiam, peregrinatione functus eſt, & patriæ redditus, antequam quæſturæ, de qua modo diximus, præficeretur, aliquantiſper privatus vixit. Interea, ne vir ad erudita negotia natus & factus, ſub hoc otio foret otioſus, putatur, hortatu *Cancellarii Magni*, *Dn.* AXELII OXENSTIERNA, hanc, quæ nunc typis deſcripta in publicam lucem emittitur, compoſuiſſe *Epitomen Hiſtoriæ Svio-Gothicæ, quatuor libris conſtantem, cum appendice duorum librorum de Gothorum extra patriam rebus geſtis.* Quum itaque hac ætate & prius, quam ei veterum Svio-Gothiæ ſcriptorum adyta perluſtrare abditosque antiquitatum ſinus accuratius excutere licuiſſet, hanc hiſtoriam ſcripſerit VERELIUs, nemo dicam ei impingat, quod, ſub ſeculis ad illatum ſeptentrioni Evangelii lumen proximis, in recenſendis Regibus & ordinandâ Chronologia, *Ericum Olavi* & *Joannem Magni* aliosque ſecutus, ſubinde diſcedat ab iis, quæ ἀγχίνοια recentiorum, utpote OERNHIELMII, ER. BENZELII, fil: OL. CELSII &c, per examinata & luci expoſita veterum Chronicia, Diaria atque alia monimenta, indubitata præſtitit & certiſſima. Quibus procul dubio acceſſiſſet VERELIUS, ſi aut hanc poſterioribus ſuis annis ſcripſiſſet aut Φροντίδας δευτέρας illi adjeciſſet. Et, niſi valde fallimur, fuerint hæ, poſtmodum fortaſſis ab ipſo deprehenſæ, hallucinationes in cauſſa, cur hanc ſuam hiſtoriam æternis tenebris damnarit atque adeo preſſerit, ut b. m. *Joannes* SCHEFFERUS, qui catalogum Verelianorum ſcriptorum in Sveciâ ſuâ literata adduxit, hanc, ut ſibi ignoratam, omiſerit. Tamen ſole & luce, immo æternitate, digniſſimam judica-

ca-

cabunt, quicunque legerint; quippe concinnitate verborum, gravitate stili, ornatu sententiarum eloquiique svavitate *á capite ad calcem*, ut ajunt, adeo exactam, ut, si alia *Vereliana Svadæ* documenta non superessent, hæc sola extra controversiam poneret, Historicum fuisse VERELIUM sui ævi eloquentissimum. Immortales proinde VERELIO, quia dum is in vivis fuit, non egit nec retulit, habebit Patria gratias.

Dum terra cœlum media libratum feret,
Nitidusque certas mundus evolvet vices;

quod eam ille delectare & illustrare voluit luculentissimâ hâc rerum antiquitus gloriose gestarum commemoratione. Quâ, ut antiquissimis Septentrionis Regibus ac Heroibus, atque universæ, quæ ante fuit, genti, vitam restituit, ita sibimet ipsi pulchram peperit nominis & honoris adoream, apud posteros æternum duraturam.

Plurimam quoque ab omnibus doctis atque Historiæ Svio-Gothicæ amantibus, non dubium est, quin gratiam initurus sit Clarissimus vir, Mag. PETRUS SCHENBERG, O-Gothus, qui, ut est eruditione atque humanitate in paucis politissimus, noluit æstimatissimum hoc *Vereliana Eloquentia* κειμήλιον aut apud paucos in spissis silentii tenebris diutius delitescere, aut, si quando clanculum prodiret, semper pluribus, per exscribentium festinationem vel incuriam, σφάλμασι deturpari, aut denique in æternam, quæ imminebat, oblivionis abyssum demergi; Proinde nullis curis, vigiliis & sumtibus pepercit, ut popularis olim suus, OLAVUS VERELIUS, Historiam majorum suorum, h. e. SVIO-GOTHICAM, disertissimo stilo complexus, in publicum prodiret, habitu, qvo fieri potuit, decentissimo indutus. Hac in VERELIUM pietate, hoc eximio rei literariæ & juventuti patriæ inservien-

di ardore id ab omnibus, qui Latinas callent & Svio-Gothicas præ Græcis & Romanis adamant historias, obtinuerit impetraveritque VERELIANÆ hujus Historiæ editor, Mag. PETR. SCHENBERG, ut non modo illum non pœnituerit aut factarum impensarum aut molestiæ in hanc editionem insumtæ; sed & ut communi omnium bonorum adplausu ac favore incitetur ad plura hujus modi documenta, industriam & diligentiam ejus palam testantia, cum orbe erudito quantocius communicanda. Hæc operi huic historico, vere aureo & longe supra mea elogia posito, præfari volui, precibus Dni. Editoris adductus. Inde etiam est, quod ad eas, quas perlegere mihi licuit, plagulas paucula fecerim ὑπομνήματα, operi forte subjicienda. Quibus eò faciliorem paciscor veniam, quod tantummodo, si quando per discrepantiam exemplarium, manu scriptorum, mendæ irrepserint, aut quædam obscuritate laborare visa fuerint, innoxiam eorum emendationem aut illustrationem tentaverim.

Dabam Linkopiæ
d. 18. Mart. M. DCC. XXX.

AND. OL. RHYZELIUS,
Archipp. Lincop.



AND.

AND. GOEDINGII Archi Præpos. Wexion: testimonium de historia hac, in præfat. ad VERELII Hierarchiam, typis expressam.

Scriptor (Verelius) sane est judicii acerrimi, elegantissimique stili, qui semper æquabilis & apta lineamentorum compositione uniformis in quadrum decurrit, & lectorem quemvis idoneum multa delectatione perfundit. Declarant hoc ipsum abunde scripta ejus, partim quæ typis impressa multorumque manibus teruntur, partim quæ indedita in privatorum cellulis latent. & lucem publicam adhuc non adspexerunt, adeo ut in hoc dicendi scribendique genere, anteferendus ipsi sit nemo. Et memini lectam mihi fuisse, dum Parisiis Gallorum, ante hos xxx quinque annos. commorarer, manuscript. ejus historiam Regum Sveonike, ad exitum magni illius Gustavi Adolphi in Germaniam. cujus ultima, quibus eadem clauditur, hæc fuere verba: sic abiit Gustavus in Germaniam nunquam rediturus. *Scil. adduxerat secum ex Suecia illustris quidam sympatriota meus hocce manuscr., qui ejus legendi copiam quidem mihi impertivit, exscribendi vero non æque concessit.*

Quod si votis locus esset, optaremus vehementer. ut typis propediem evulgaretur. atque adeo lucem publicam subeat. Nam indidem cuivis pronum foret cernere, ita Verelium *Nostrum feliciter omnes boni historici partes explevisse, ut ultra requirendum merito sit nihil.*

L. B.

Quæ in textu occurrunt σφάλματα Typographica, non incuriæ meæ ſed temporis anguſtiæ ut imputes, maximopere Te, B. L. rogatum volo. Nam admodum paucæ mihi fuerunt iſtæ horulæ, quas aliis ſuffurari curis & conferendis corrigendisque exemplaribus impendere potui. Indicem eorum verborum, quibus aliquod ineſt mendum, conficere & ad calcem libri adjicere quidem potuiſſem; ſed, quoniam pauca admodum ſunt & ejusmodi fere, ut eruditus lector ea facile corrigere poſſit ipſe, ſupervacaneo labore ſuperſedeo. Extantiora fere ſunt hæc: pag. 7 lin. 18 lege pro *noſtram*, *noſtrum*. Pag. 22 lin. 12 pro *incubantique*, lege *incubantisque*. Pag. 23 lin. 3, pro *cenſiſſet*, erit, *cenſuiſſet*. Pag. 32 lin. 5 lege *delerent*. Pag. 38 lin. 1 *ceterisque*. Pag. 40 lin. 18 lege *infantum*. Pag. 58 lin. 6 pro *ex* ſubſtitue *cum*, &c.

Omnia fere *Vereliana* typis evulgata ſunt, præter *tres libros Epiſtolarum*, qui, una cum *Peregrinatione Cosmopolitana*, eodem auctore, propediem prelo ſubjicientur. De cetero, ut hæc Tibi, B. L., placeant

Jam ſunt à primis proxima vota mihi.

Vale, ſcribebam Stokholmiæ die 6 Aprilis 1730.

EDITOR.



OLA-

OLAVUS VERELIUS
Lectori. suo salutem dicit.


QUantum intersit majorum gloriosa facinora posteros discere imitarique, quia nemini ignoratum, heic operose non diducam. Illud satis liquidum, si inter se conferantur gentes, quasdam rerum gestarum magnitudine & gloria alias anteivisse. Nec desunt heic laudibus suis Græci Romanique, ceteris contradicere non audentibus, an quia res non habent, vel scriptorum forsan, qui suos celebraverunt, eloquentiæ se impares deprehenderunt. Ceterum nulla tam afflictæ sortis fuerit gens, quæ de progenitoribus suis aliquid non possit gloriari. De majoribus nostris panegyrim condere, alterius fuerit curæ & industriæ. Hoc in præsens dixerim: me in memoriis eorum evolvendis incredibilem delectationem cepisse; nec infructuosius forsan operam collocasse, quam si in Græcis aut Romanis antiquitatibus otium & ingenium occupavissem. Præposteri sane mortales, qui domestica ignorare, foris sapere egregium sibi ducunt. Istius culpæ ne affinis haberer, indiculum mihi confeci eorum, quæ ad historiæ nostræ seriem pertinebant, aut facinore in aliquam partem illustri legentis animum afficere possunt, angustæ & infirmæ memoriæ meæ aliquale subsidium. Illud non satis exploratæ descretionis, quod in tanta temporum longinquitate obscura sit antiquitas & minus sibi interdum consentieus. Ea proinde optima duxi, quæ quam minimam suspicionem habebant vanitatis. Curis vero istis

qua-

qualibuscunque ambitiose veniam non exoro, satis certus, me ineptias non coloravisse, neque vera quæ sunt, ira studiove, quas sibi multi ad scribendum caussas sumunt, corrupisse. Malitiosa profecto industria, quæ laborare facit annalium fidem, & de posteritate, quam decipit, pessime meretur. Juxta & illorum deserui institutum, qui laboribus suis potentiorum patrocinia sollicite exambiunt; satis gnarus, quam infirmum sit adversus calumniantium libidinem hoc scutum. Vel in numinis alicujus pulvinari tua reponas, nulla majestatis reverentia prohibebit, quin & illuc improbitatis audacia profanusque furor ruat. Et cum magnorum fortuna obtrectationi semper sit obnoxia, quomodo adversus famæ iniquitatem alienæ necessitati præstabit, quod sibi ipsi non potest? Tua heic, Lector, libera sit censura; si bonus & candidus, invenies, quod approbes vel excuses; sin livor te ad sinistra judicia flectet, non tanti est, ut morsus tuos deprecer. Vale.



EPITO-



EPITOME HISTORIÆ SUIO-GOTHICÆ.

LIBER PRIMUS.

Caput I.



Uiones Gothique majores nostri, qui magnam orbis partem armis ſubegerunt, initia, tantis facinoribus paria, habuerunt. Originem quippe ab ipſo *Noacho*, rebus ab antiquiſſima memoria repetitis, duxiſſe conſtat. Is, poſtquam diluvies triſtis hominum nefas expiaſſet, vacuum orbem filiis diviſit. Et Japheti quidem, natu maximi, filius Magogus in hæc borealia concedens, *Magogetas* à ſe gentes nuncupavit. Quod nomen temporum lapſu in Gothorum ceſſit. Sed, quia Græcæ Latinæque elocutioni inſolens erat,

extrito bivocalis literæ membro, Getæ primum, inde etiam *Gothi* dici cœperunt. Frustra enim sunt, qui ex ista nominis diversitate, quam linguæ nostræ apud exteros inscitia peperit, aliam atque aliam gentem in orbis theatrum inducunt, tantum ut Origines nostras & Majorum decora convellant. Quorum subdolam argutiam, & antiquorum scriptorum auctoritas, & in eorum sententiam concedentia, nostri ævi non lubrica suffragia retorserunt. Quin eo nonnullorum improbitas progressa, ut criticum illud suum acumen, quod, divexandis meliorum scriptorum monumentis, non unam lauream quæsivit, sursum ac deorsum versent, quo Gothos illos nobis eripiant, qui, senescente imperii Romani majestate, toti orbi inclaruerunt. Qua libidine factum, ut majorum nostrorum virtutem ac lacertorum robur illi melius olim cognoverint, qui forte aut injuriis ad virium experimenta venerunt, quam nunc ortum & patriam, qui umbratilibus ingeniorum pugnis ac seditionibus totum literarium orbem permiscent. Improbam istam audaciam, quæ tot illustrium scriptorum fidem lacessere, annaliumque monumenta ridiculæ fabulositatis, errorisque insimulare, gloriæ sibi ducit, in pœnam legibus nostris dedi, æquum foret, quæ extra patriam nostram Gothorum primigenium nomen nusquam agnoscunt; hinc autem in alias terras diffusum, ut Gotho, etiam in Græcia militanti, paternam hæreditatem, abjecto revertendi consilio, liberam & integram pronuntiaverint. Vellem duræ ipsorum fronti impactas moles istas saxeas, literis Runicis apud nos inscriptas, quas, consanguineis fratribusque in Mœsia, Græcia & Longobardia interfectis, domi erexit propinquorum pietas, notatis nominibus & rei gestæ titulo. Quod officium & æternitatis memoria, extraneis credo, & in-

& incognitis tribui impendique potuit! Et cum Ostro-Gothorum VisiGothorumque nomen in Italia & Hispania fata iniqua extinxerint, domi tamen & in avitis sedibus, inde á prima gentis origine, in nostram usque ætatem, per tot rerum aspera atque ardua perduravit, ut florentissimum hodieque regnum constituat. *Sueonum* vero nomen, sive illud illustri inter suos principi *Suenoni*, seu potius excultis solitudinibus sit deferendum, eandem originis celebritatem sibi vendicat. Duæ hæ gentes nomine potius, quam sanguine, diversæ, primis coloniarum deductionibus, borealem hunc tractum, latinis scriptoribus Scandiæ & Scandinaviæ nomine celebratum, occupaverunt. Est vero Scandia, gentium inclitarum domicilium, mari undique clausa, nisi quod exigua sui parte Moscoviæ adhæreat. Ab occasu & meridie, vastissimo cingitur Oceano: á Germania sinu separatur Codano, á Finningia Venedico, inter quem & lacum album, parvum terræ spatium intercurrens, utrique mari coëundi licentiam abstulit. Tria in se continet regna; Sueoniam, Gothiam & Norvegiam. Australiora tenet *Gothia*, quæ diffuso terrarum tractu OGothiam, WGothiam & Smalandiam, quarum appendices Scania, Blekingia & Hallandia, in se complectitur. *Sueonia* vero Norvegiæ perpetuo Borealium montium jugo contigua, in ultimum aquilonem recedit. Ubi, cum ad brumam vergit annus, depressiori orbita iter suum urgens Phœbus, breve admodum lucis suæ beneficium mortalibus indulget. Ne vero de iniquitate ista conqueri possint, cumulato fervore, diem quasi perpetuum æstate facit. Lucido quippe jubare Horizontem stringens, noctis opaca irradiat. gratissimumque lumen suum vix subtrahit. Quo fit, ut intra septem septimanarum spatium serere & metere possint. In *Gothia* vero & ma-

A 2 jori

jori Sueoniæ parte, tantæ lucis viciſſitudines non ſunt: Sed, ut æſtate viginti & ultra horarum dies eſt, ita, cum breviſſimus eſt, ſex nobis horis ſolem exhibet. Terra ipſa, annonæ proventu abundans, tum pecoris, mellis, argenti, ferrique & æris multum dives; tum externi auxilii, ſale & vino excepto, nullius indiga. Quamvis & huic defectui incolarum ſubvenerit induſtria. Nam ex maris ſalſedine & eliquata Cerere utrumque exprimunt. Incolæ dura exercitatione ad laborem firmantur. Liberalitate quondam & officioſo hoſpitum cultu ceteras gentes omnes anteiverunt; Sed jam frequentata cum exteris commercia, temporumque in pejora ruentium neceſſitas, rei domeſticæ propiorem curam admovere coëgerunt. In alios fidi ſunt & benivoli, ſed injuriarum impatientiſſimi, & truces ſæpe vindices. In bello vi & aperto Marte, non dolo & fraudibus, rem gerere ſoliti. Ex hac Scandia innumeræ iſtæ populorum inundationes prorupere, quæ bellis & victoriis, imperioſas quasque gentes attriverunt.

Caput II.

QUibus inſtitutis, quove imperii genere, majores noſtri, circa prima reipublicæ initia, vixerint, in tanta temporum longinquitate parum explorati habemus. Vero tamen conſentaneum eſt, ex primoribus gentis captos aliquos, qui ſuadendo conſulendoque publica munia obirent. Regia illis autoritas, nomen a Diar & Drottar (judice) fuit. Unde hodieque Regina Drottning / ſummus autem juſtitiæ præſes, Drotſet/ dicitur. Quin & primus in menſa cujusque locus Drottsätit nuncupatur; ſeu, quia illorum temporum modeſtia inſolens non duxerit, inter Cives regem diſcumbere; ſeu etiam, quod pa-

ter-

terfamilias quilibet in domo ſua Rex eſſet. Unde & leges noſtræ inter majeſtatis crimina numerant, ſi quis vel minimum ruricolam in lare ſuo violet. Principum vero nutus & arbitria ita reſpiciebant Cives, ut tamen libertatis ſuæ memores eſſent. Quia vero & Regum poteſtas, & libertas populi vix modum ſibi ſtatuunt, cum nullo retinaculo & officii limitibus cohibentur, publicæ ſalutis interfuit, leges quasdam condi, quæ mutuum utrinque fidei & amoris ſacramentum eſſent. Fuere autem leges iſtæ, quas iſtorum temporum ſimplicitas rudi ligno inſcribebat, paucæ, ſed in vitia validæ, cum nondum improborum flagitia bonos mores expugnaviſſent. Parce quippe & frugaliter viventibus luxuria, & alienarum rerum cupiditas, abfuerunt. Itaque nec forum litibus fervebat, nec quietem Civium diſcordia afflixit. Populi in Centurias (Hunderi) diſcreti; querelas forte ſubortas, territoriorum præſides (Hundaris Höffdingar) ex æquo & bono componebant. Singulæ vero provinciæ Nomarcham (Lagman) eligebant, penes quem juris patrocinium, & publicæ libertatis cuſtodia eſſet. (a) Tanta Nomarcharum horum poteſtas fuit, ut Regem, officio ſuo abutentem, in ordinem cogere poſſent. Et, cum Rex eligendus eſſet, re cum ordinum nunciis & legatis deliberata, quem Regno utilem deprehenderent, ſuffragiis ſuis deſignarunt. Jure enim & more majorum, præter equeſtrem ordinem, etiam populus, i. e. Sacrorum Antiſtites, Civitates & Ruſtici, per legatos ſuos & procuratores, comitiis intereſſe, publicisque utilitatibus providere ſolent. In Nomarchis vero præſidium populi fuit, adverſus licentiam Regum,

A 3

(a) Snorre Sturleſon de Torgnio & Emundo legif. in vita Olai Skot-Kungs.

gum, fuereque tribuni plebis, & ipſi è plebe (*b*); donec ampliſſimam hanc dignitatem nobilitas ſibi adſereret. Reges autem in comitiis Morating, præſentibus Nomarchis & legatis ordinum,ſub dio eligebantur. Ad æqualium vero æmulationem & ambitum retundendum, præcipua ratio haberi ſolebat primogeniti, ut,ſi Regiis eſſet virtutibus, non alius ipſi præferreretur. Publicis vero ſuffragiis regno deſtinatus, Regi defuncto ferale epulum inſtituebat, ipſeque,privati inſtar,in imo ſubſellio aſſidebat, donec ingens cornu optimo liquore afferretur. (*c*) Tum aſſurgens,acceptoque in manus cornu, ad legum obſequium regnique propagationem ſe obſtringens,poculum exhauſit. Magna inde cum veneratione *in* regiam ſedem deducebatur, & pro legitimo Rege ab omnibus agnoſcebatur. Poſtquam vero Chriſtiana ſacra huc illata ſunt, in deſuetudinem abiere ceremoniæ iſtæ & Rex electus, a ſummo ſacrorum Antiſtite,Upſalæ ſolemniter Regno inaugurari cœpit, dictusque eſt Rex Upſalenſis & Enwaldz-Kunger / i. e. Monarcha.Sæpe tamen alii,opibus florentes, in provinciis Regium ſibi nomen adrogarunt, ob id Herarz-Kungar / Lyde Kungar / et Skatte-Kungar vocati. Multi inſuper, qui nec ditiones, nec ſubditos habebant, ſed piratica tantum & latrociniis opes quærebant, Wijk-Kungar & Naäß-Kungar i. e. Reges maritimi dicebantur. Fuere illi juniores plerumque Regum filii, qui, majore natu, naturæ & publico gentium præſcripto,in Regem electo, ab regnandi fortuna excludebantur. Ut tamen natalium tuerentur faſtigium, Piraticâ, quæ tunc inter gloriæ & fortitudinis opera cenſebatur, ſumptus & impenſas

(*b*) Westgöthe Lagen Ting B. Cap. I, Bondesun skall Lagh mader wara. (*c*) Snor. Sturl.

ſas comparabant. Ejusmodi Reguli, ab Agnero divite ad Ingellum usque fuiſſe, annales memorant, qui omnibus iſtis aſtu & incendio ſublatis, ſolus rerum potitus eſt A primis autem regni initiis ad Albertum usque Mechelburgicum , liberrimis ſuffragiis, indigenam ſibi creavere Regem; quamvis & hic materno ſanguine Reges noſtros contingeret. Nunquam tamen regnum conſecutus fuiſſet, niſi proceres nonnulli,á Rege Magno proſcripti, ejus odium caritati patriæ anteponentes, fidem ſuam Alberto obſtrinxiſſent. Hinc magna calamitatis ſeries, & non minus pernicioſa Margarethæ, Erici & Chriſtophori, Chriſtierni & Johannis dominatio: Cui complementum & finem adjecit ſæva & belluina Chriſtierni ſecundi immanitas. Si qui prius per vim ſe intruſerant, armis mox dejecti, & extra patriæ fines proturbati fuerunt, ut impudens eorum ſit mendacium, qui Romanos imperatores Reges nobis dediſſe comminiſcuntur. Nunquam Romana potentia ſeptentrionem noſtram pervaſit: nunquam majores noſtri culmèn illud ſuſpexerunt. Illud vero á Gothis noſtris concuſſum, everſumque,annalium non dubia fides toti orbi patefecit. Licet vero tot periculis & horrendis caſibus jactata fuerit hæc respubl, divina tamen benignitate ex calamitatibus iſtis ita emerſit, ut in priſtino vigore permanſerit, nec inveniri poteſt regnum aliud, quod poſt hominum memoriam tot ſeculis in ſtatu ſuo perduraverit.

Caput III.

INter cetera ſocietatis humanæ firmamenta,locum principem religio obtinet: cujus tantum in animos imperium, ut gentes barbaræ, & á civilis vitæ officiis abhor-

ren-

rentes, ei tamen pareant. Nulla enim tam effera barbaries mortalium animos occupavit, ut Deorum metum & reverentiam proſcriberent. Majores noſtri, qui circa prima renovati orbis tempora borealem hanc plagam inſederunt, DEI æterni cognitionem habuerunt à parentibus perceptam. Mox tamen maligni dæmonis perfidia ſeducti, a DEO deſciverunt, religionemque ſibi finxerunt, qualem diaboli inſtinctus & cœcus mentium error ſuaſit. Miſerabitur ſane humanæ mentis cœcitatem, vindicemque DEI iram, ſui contemptum ſic ulciſcentis, exhorreſcet, quisquis in calamitatem iſtam volet intueri. Quam ſeduli, quam anxii & religioſi in ſacrilega ſua impietate fuere: dum numina, quæ fecerant ipſimet, horribili cultus obſequio proſequebantur. Vel enim grato in homines magnos ac bene meritos animo, divinos ipſis poſt mortem honores decrevere: Vel artis magicæ ludibriis faſcinati, numen quoddam, & divinæ ſapientiæ ſpeciem, in impoſteribus illis horrebant adorabantque. Diis vero ſuis, & Religioni ſedem Upſalam dicarunt, ab Ubbone pridem conditam. Hic delubrum, ambitioſo apparatu ſtructum, conſpiciebatur. Parietes, laquearia, tectum auro obducto, turres ædisque faſtigia, aureis catenis revincta ſtuporem accedentibus injecerunt. Stabat vero fanum illud in luco ſanctiſſimæ religionis, foribusque arbor imminebat raræ magnitudinis, ramis patulis perpetuoque virentibus. Templi hujus præſidem Deorumque ſummum venerabantur Thorum. (*d*) Strato is pulvinari ſedebat coronatus, ſub cœlo, duodecim ſtellis diſtincto, ſceptroque majeſtatis ſuæ terrorem mortalibus incutiebat.

Ali-

(*d*) Gallis Tharan. Lucanus. Vorm. &c.

Aliis (*e*) tamen, nudi instar pueri, temoni currus insedisse, unaque manu plejades, altera sceptrum tenuisse, scribitur. Regem ipsum fuisse, non vana præsumtio est, solebatque vitula sacrum facere. Et, quia tempora ejus pace & annonæ proventu floruerant, ista felicitatis memoria, regiminisque ejus meritum, defuncto divinitatis censum contulit. Et imaginem quidem in delubro servantes, ipsum in cœlo degere persuasum habebant. Ibi tonare, fulminare (unde hodieque tonitru Toordåk. i Toordön vocamus) tempestates ciere, sudum reducere, & Jovis plane imperio uti, credebant. Itaque magnis sacrificiis numen ejus sibi propitiabant, quo annum fœcunditate bearet, famem, pestem, omniaque dira averruncaret. Ejus nomini Januarium mensem diemque Jovis consecrabant. Eum dejerantes (Ja Thore Gudh / ja Thore Madra &c.) fœdera & sacramenta religiosissime sanciebant. Latus ejus dextrum Odinus claudebat, artibus magicis divinos honores consecutus. Asiaticæ hic immigrationis princepsfuit, & propter militarem famam, Gothorum armorum princeps habitus. Ab hoc belli auspicia capere, ante prælium humanis captivorum hostiis, post victoriam ludis, placare solebant. Equos etiam ad aram ejus immolabant, quorum capita pro signis in acie præferebantur. Vixerat ille prius Asgardi ad Wanaqwisl / sic enim Majores nostri Tanaim vocabant, Scythiam vero minorem Wanahem / incolas Vaner, majorem vero Scythiam Sdrtland: Snor. Sturl. Illusionum & præstigiarum Magicarum non tantum ipse mirus artifex, sed & aliis disciplinam istam tradebat. In varias formas se transmutare, invisibilem se facere, dissita momento adi-

(*e*) Saml. Swensk Cron. & Olaus Petri. Ericus Upsal.

adire, &, quæ ibi contigerant, exacte referre; tempestatis marisque fremitum compescere, ignem solo jussu extinguere; homines fascinare, visum & intellectum eis auferre; ferro lædendi vim adimere; defunctorum manes elicere, & rursum condere; montes carminibus aperire, aurum argentumque, aliasque divitis naturæ opes eruere; multaque alia, naturæ insueta & contraria, patrare solebat. Habitus etiam fuit opum conciliator, & qui cumulandis illicite divitiis incumbunt, cum Odino commercium habere etiamnum dicuntur. Decussum Mimeri caput vocale reddidit, corvosque cicuratos & humanæ vocis modulo institutos, quæ per locorum longinqua contingebant, sibi referre assuefecit. Ante bellorum strages & sanguinis profusiones, se videndum præbuit, certum illis victoriæ omen, quibus apparuit. Fuit autem, dum vixit, libidinibus & flagitiis omnibus coopertus, adeo ut sacrorum & religionis famæ timentes, Dii Byzantini, exilio eum mulctaverint; qua pœna cum flagitiorum infamia expiata videretur, dignitati pristinæ restitutus est. Majorem vitæ partem *Sigtunæ*, quæ propter loci amœnitatem plurimum ipsi placuerat, transegit, ibique, ultimæ voluntatis suæ præscripto, post mortem crematus est. Ipse morem cremandi heroas demortuos introduxit, una cum thesauris & rebus carioribus, quæ propterea dominos suos ad Valhalden i. e. mortuorum domicilium, comitari dicebantur. Ingestis postea tumulis lapides superponebantur, qui scriptura Runica defunctorum memoriam ad posteros propagarent. Ab hoc Magicæ artis infamia ad Septentrionales profluxit, quæ multis seculis hic viguit; nec postquam Christiana pietas huc immigravit, penitus exscindi, abolerique potuit. Sceleris istius magisterium, & arcana artis, suis in ludis tra-

tradebantur. Disciplinæ summa fuit, aliis nocere posse, si velles, aut noxiam vim prævenire, & in autorem retorquere. Experientissimi vero censebantur *Finni* & *Lappones*, qui navigantibus ventorum obsequia vendere, hostibus procellas & fatalem tempestatem immittere, quibus male volebant, etiam centum milliarium intercapedine disjunctis, lethalem ictum incutere potuerunt. Homines in lupos convertebant. Sciscitantibus absentium fata, per animarum raptus, aperire noverunt. Isto quidem ritu, ut tympano, diversis animalium figuris, ranam æneam imponant, subjectoque igne, inconditum boatum edant, malleo interim, æneis annulis ornato, tympanum pulsent, usque quo exanimes decidant. Sacrorum vero arcanis intervenire, præter consulentes, vetitum, ut & jacentis corpus contingere; quod si quis temerarie ausit, animam rursus in illud non reverti persuasum. Evigilantes è somno, qui, pro absentium intercapedine, longior vel brevior, exacte omnia referre, signum etiam & tesseram, in rei fidem, monstrare sciunt. Magnum profecto documentum, quam potens sit malus genius in iis, qui á cœlestis doctrinæ luce defecerunt. His artibus *Odinus* cœlum meruit, ut & uxor ejus *Frigga*, quæ sinistrum *Thori* latus cingens, amorum deliciarumque Dea habebatur. Ei juvenes & puellæ pro felici matrimonio supplicabant: Et hæc, ut alma Lucina, nuptis opem ferre credebatur. Gladio autem & arcu accingebatur, quod & muliebris sexus apud nos quondam belli studia amplecteretur. Et, ut *Mercurii* dies *Odino*, ita *Friggæ Veneris* dicatus est; ejusque honori *Orionis* sidus, colus & fusus Friggæ, nuncupatum. Tria hæc primaria apud nos numina fuere: Norvegi *Niordum*, nominis sui conditorem, his adjecerunt. Nos reliquum Deorum

rum Dearumque vulgus, hic breviter recensebimus. *Goam* sive *Goëjam*, Thori sororem vel filiam, tacentibus nostris annalibus, vicinarum gentium fasti inter Deas nostras computant; (*f*) ejusque nomini mensem Februarium consecratum: quo magnum pro pace & victoria sacrificium peragebatur. *Facia*, Odini filia, uxor Niordi, sapientia sua & sedulitate, circa Deorum sacra obeunda, inter numina censeri meruit. *Thorelda* eadem nobis, quæ Latinis *Ceres*. *Disam*, Thori uxorem, summam justitiæ patronam & Antistitem, muneris sui sanctitas consecravit, ut vult nonnemo. (*g*) Ejus memoriæ tertius septimanæ dies, & anniversariæ nundinæ Upsalenses, *Disting*, dicatæ. Hæc tamen aliter publica traditio memorat; Summam nempe annonæ caritatem patriam adflixisse, Regemque in consiliis Upsalensibus decrevisse, inutilem omnem turbam ferro necandam. Disam vero, non absurdi ingenii puellam, quæ Vænegarnis vivebat, Regis stolidam & impiam sententiam increpavisse, eaque propter ab irato rege, Upsalam accerssitam, ut nec nuda, nec vestita, nec die, nec nocte, nec crescente, nec decrescente Luna, nec eques nec pedes accederet. Quas illa captiones ingenio versatili facile elusit. Reticulo enim circumdata, in ipso crepusculo, cum Luna implevit orbem, hirco insidens in vehiculo suspenso, cui famulum junxerat, ista se pompa & apparatu Regi stitit. Et ille, commento haud illepido delectatus, si quid melius rectiusque posset expromere, jubet. Consilium illa dedit, ut ad sublevandam annonæ difficultatem, populi superabundantem multitudinem, ad borealiores partes, adhuc incul-

(*f*) Arngrimus p. 327. Vormius, Vastovius. Snor. Sturl.
(*g*) Vorm. fast. Dan. 14. & 2. 3. Vastovius.

incultas, & habitatoribus vacuas, deduceret; Sic & ceteris annonam suffecturam, & hos patriæ fines ampliaturos. Ista prudentia, Regis thalamos, & amorem populi, immortalem etiam nominis famam, puellæ conciliavit. Sed ex diverticulo redeamus. Summus Deorum Pontifex *Milotinus* sacrificia ordinavit, ritusque & ceremonias distinxit: Ipse, magica arte, divinitatis fastigium adeptus. Post hunc *Fröe* idolomaniam multum auxit; nefasque immane commentus, humanas hostias adjecit. Cui inter Deos relato, furvæ hostiæ immolabantur, lectisterniaque & ludi anniversarii consecrabantur. Pluresque alii ut *Vagnoflus*, *Rostiosus*, *Rostarusque* Thori vel Odini filii habiti, divinos fere honores consecuti sunt. Talem præstigiatorem & Dœmonem *Bocbum* fuisse, credibile est, histrionibus Italis hodieque notum, (Ocus Bochus carmina præsto) & impia per numen ejus dejerandi consuetudo, nobis adhuc non desita (Bockzdödh / Bockzgööt / så till päckers.) Malignum etiam numen *Neccum*, aquis inesse, majorum etiam cæcitas credebat, cui pellendo chalybem valere sibi persuadebant: unde nataturi aut lavaturi, quoties fluminibus aut lacubus se immittunt, chalybis ferrive frustulo, aquis immerso, tanquam amuleto, se munitos existimant. Si quos vero insidiosi aquarum vortices hauserunt, aut nervorum rigor, aut natandi imperitia perdidit, ab *Necco* subreptum existimabant. Dicere solemus *Fanin*, quem dejerant, quoties diris imprecationibus se aut inimicos devovent. *Raggam* etiam torvum & malignum genium putaverant. Inde hodieque de iis, qui plena ratione non utuntur, dicere suevit vulgus: Jugh täncker Raggan rijder righ. Raggina sunt spectra & Sylvestres Dii apud Samogethas, ut scribit Lasicius de Diis Samogetharum. Cui denique

loco tutelare numen tribuebant, quod superstitioso cultu placare aut non offendere satagebant. Quorum sunt, Tompterää / Lares, Skogzrää / Nemorum & Lucorum præsides, propter quorum secretum & reverentiam, sacras illas arbores sternere aut violare piaculum & capitale fuit. Forte & in lucis istis, Faunorum Sylvanorumque spectrorum, Larvarum, & manium illusiones credulis frequentius offerebantur. Bergzrää / metallorum & mineralium potestatem habet; Siörää maris imperium possidet, quam sine certo nomine in parva insula Blåkulla / inter Ölandiam & Gotlandiam, vulgus nauticum superstitioso silentio adorant, ne prænavigantes tempestatibus adfligat. In hac insula sagas & veneficas anniversaria sua comitia, trinoctio ante Pascha, habere, ibique magistro suo Odino studiorum rationem reddere, ipsæ inter tormenta & quæstiones solent confiteri. Hæc fere sunt numina, quæ majorum simplicitas, aut vesania consecravit. Jam sacra videamus, quibus horrendæ impietatis autores sibi popitiarunt demeruerunt que. Simpliciora illa initio, utpote quæ intra libamina & haud operosa donaria constiterunt. *Thorus* ipse, antequam Deus, sola vitula sacrum faciebat. Sed *Odini* accessu, omnia in majus aucta. Præter menstrua enim & anniversaria sacra, quæ minori victimarum apparatu peragebantur, quolibet novenario, totius regni celebritate & conventu Upsalæ frequentabatur. Novem dies sacra facientium pietas sibi poscebat. Singulis vero istis diebus novem, masculi sexus, victimæ ad aram cædebantur. (*b*) Homines vero totidem sorte legebantur, qui, Diis immolandi, fonti (Odenkälla / Blottkälla) qui

(*b*) 99. scribit Dithm. lib. 2. Chron.

qui in luco ſcaturiebat, ſolemni ritu immergebantur: qui, ſi intercluſa anima, mortalitatem cito explebant, gratum & acceptum Diis ſacrificium exiſtimatum: moxque extracta cadavera, cum gratulatione in luco ſuſpendebantur, rite exſolutæ pietatis argumentum. Quamvis ſit, qui in anniverſariis ſacris, tantam hominum ſtragem haud editam, aſſerat. Auſpicatiſſimum vero regni ſacrificium habitum, ſi ſors ipſum regem deſignaret, cujus immolatio, fauſtis omnium vocibus & applauſu, peragebatur. Iſtis ſacris devotus Rex *Domalder*, ad placandam famis ſævitiam, *Thoreldæ* immolatus fuit, cum taurorum holocauſta & ſubditorum victimæ nihil proficerent. Spontanei vero voti parricidium regis *Auni* fuit, qui impio vitæ deſiderio novem ordine filios *Odino* immolavit: quod cujusque filii mactatio decem vitæ annos parenti prorogaret. Sorte vero ſignati, fatum ſuum læti amplectebantur, quod ad Deorum conſortium ſe vocari perſuaſum habebant. (*i*) Sacrificia iſta tripudiis, Muſica & notarum ſtrepitu celebrabant Sacerdotes: inſtituebantur etiam ſolemnes commeſſationes (Offergille) in quibus victimarum etiam immundarum carnes aſſumebantur: (*k*) pateræ vero in Deorum honorem libabantur, additis votis, pro Regis ſalute & victoriis, pro regni incremento, pro anni fœcunditate, ceterisque, quæ mortalium pietas à Diis ſibi paciſci ſolet. Inde heroum bello defunctorum pateræ circumferebantur. Tandem ſibi quisque in memoriam amicorum mortuorum propinabant. Dum vero ita ſe genialiter invitabant, Scaldi adfuerunt, qui non Amaryllidas, Phyllidas & ignavos amores, ſed præclara majorum facinora, heroas, prœlia cane-

(*i*) Saxo lib. 6. (*k*) Snor. Sturl.

canebant; quæ carmina, historica narratione evoluta, juvenum memoriæ tradebantur. Illud etiam pietatis & venerationis argumentum est, quod concitato in nubibus fragore, sagittas arcubus excusserunt, malleosque (Thorshambrar) quassaverint, opem Diis suis laturi. Horrenda hæc idololatria & cæcus mentium error, majores nostros per multa secula involutos tenuit, donec tandem æternus DEus, triste hoc fatum miseratus, cœlestis sapientiæ jubare miserorum corda illustraret.

Caput IV.

Regum nostrorum primus, vel inter primos illustrissimus, Ericus fuit; (*l*) legum hic conditor, & summus Justitiæ Antistes, non intermoritura meritorum suorum elogia ad posteros transmisit. Ejus auspiciis coloniæ in insulas Witahedh / sive Witaslett / deductæ sunt, quæ præfectorum potestate diu coercitæ, sub Dano tandem servitutem ab se amoliebantur. (*m*) Veniam nobis dabunt æqui rerum æstimatores, quod tanta temporum vetustate & caligine, continuam & non interruptam principum seriem exhibere nequeamus. Vix pauca nomina, suppressa facinorum gloria, Historiarum fragmenta exhibent. Inter illos Gorus, Gethar, Gylfi, pluresque alii infelices & sic inglorii principes censentur. Cum enim Magicæ artis infamia gloriæ tunc duceretur, pessimus quisque plurimum pollebat. Inde scelerum & impietatis certamina: Inde parricidia meliorum, calamitates, & impiæ plerumque bellorum causæ, ut mirum non sit, si in tanta omnium confusione incerta fluctuaverit

rit

****

(*l*) Post diluvium 357. Laurent. Paul. (*m*) Rim-Krön.

rit Reipub. adminiſtratio. Haud facile definiverim, quanto temporum decurſu, hæc calamitas continuaverit; quadringentorum annorum circulum deſcribit nonnemo, ſua magis conjectura, quam rationum documentis: ſed ſuo ſenſu quisque fruatur: illud haud ambiguum, civilibus diſcordiis & vicinorum piratica, patriam adflictam fuiſſe. Igitur *Bericus*, conſilio bonus, & orandi non ineptus, publica mala civibus ediſſerit, quorum finis futurus non eſſet, quamdiu legum & principum contemta autoritate civile ferrum in propria viſcera ſtringerent. Iſtac occaſione lætos Eſtones, Finnos, Ulmegavos, laceſſere & pro victoribus ſe gerere. Sveones tantum dedecus neglectim ſpectare, & inquietum ardorem in ſe ipſos conſumere, quem in hoſtem honeſtius effundere poſſent. His incitati, campum & prælium poſcunt. Et ille animis utendum ratus, ingentem navibus bellatorum vim imponit, liberis conjugibusque, in ſolatium longinquæ expeditionis, comitantibus. Claſſem inde luſtrans, è Gotlandia exploratores in hoſtem præmittit. Illis, cuncta audentibus, prona renunciantibus, univerſas vires in Ulmegavos effundit. Mox victor, multitudinem in agris collocat, caſtrisq; & præſidiis adverſus vim firmat. Hic ille eſt *Bericus*, qui Sveo-Gothicum nomen, domi illuſtre, aliis orbis partibus intulit. Quando vero tam celebris expeditio confecta fuerit, mihi in tanta temporum incertitudine vix quicquam explorati: Annum orbis conditi bis milleſimum ſexcenteſimum quidam huic tribuunt; alii adhuc ſunt liberaliores. Nemo interim noſtro præjudicio ſe gravatum conqueretur; quin id amplectatur, quod rerum geſtarum rationi magis congruere videbitur. Quicquid vero foris glorioſe patraverunt populares noſtri, ſeparato volumine tradere decrevimus, cum

cum prius rerum domesticarum memoriam evolverimus.

Caput V.

EXonerata sic discordi multitudine, ceteris quies & Legum reverentia rediit. Pacato itaq; principatui præfuit *Humulpus*. Dani, nepotis ejus *Humeli* imperium dedignati, quos pridem ab Erico Rege in insulas Wetalahed deductos adseruimus, (*n*) præfectos ejus ejecerunt. Sed, cum legitimum obsequium exuerent, aliam ipsis servitutem Saxones, Jutone duce, à quo Jutiæ nomen, intentabant. Igitur discessionis suæ pœnitentes, Humeli gratiam & auxilia implorant: qui reconciliatis & in libertatem vindicatis, filium suum *Danum* regem dedit, à quo genti & regno nomen. *Gotilas*, qui post Humelum regnavit, *Amalo* cognato regi, adversus Carelas & Esthones auxilium tulit. *Sigtrugus* regni fortunam, seriemque rerum ab Odino sciscitatus, aurum sibi exitiosum fore intellexit. Itaq; a ferro securus, bellorum discrimina ultro exposcebat. Filiam suam *Gro*, electæ pulcritudinis puellam, Finnorum principi *Humbli* desponderat. Hanc Scioldi filius, *Gramus* Danus simul ambivit; & voto apud patrem inferior, pellectam Virginem secum in Daniam abduxit, belli inexpiabilis facem. Pater enim autoritatem suam, sangviniq; illatam injuriam vindicaturus, simul Oraculo fretus, arma in Gramum sumit. Sed & huic oraculum innotuerat. Itaque Caput, ardentius sibi imminentis, aurea clava elisit, fidemq; oraculi implevit. Non tulit id æquo animo *Scarinus*, cognatus ejus, W: Gothorum

(*n*) Danos Gothorum sobolem esse, affirmat Jornandes, Cron. Ryth. Dan.

thorum princeps: Cujus exercitui impar Gramus singulare certamen offert. Nec detrectat alter, quamvis senio debilis, ne cedens pro victo haberetur. Huic juvenile robur, animi ferocia, & amor victoriam pollicebatur. Alteri justa indignatio, vires effœtas in pugnam armabat. Invalidum cum integro congredi audere, satis ad virtutem fuit: Quo tamen victoria inclinatura esset, omnes facile prævidebant. Universa deinde cognatorum turba, singulatim relictas vires instaurando, neci deditur. Tantam principum stragem cruentum illud duellum edidit. Quod tametsi pro gloria plerumque inibatur, in eorum tamen sorte, qui victi cadunt, ceterorum salutem verti, haud æqvum. Felix hactenus Gramus tandem intellexit fortunam lubricam esse, & illos sæpe evertere, quos ad invidiam extulit. Superfuit *Svifdager*, Norvegiæ Princeps, qui rerum in Sveonia potitus, ut cognatorum manibus, victoris sangvine, parentaret. Nam & sororem ejus per vim stupravit, & filiam in Norvegiam abduxit, tandem & parentem interfecit. (*o*) Filio tamen ejus *Gutormo*, quem Gro ipsi pepererat, paternum principatum reliquit, ea tamen lege, ut tributorum obsequio sibi obnoxius esse deberet. Alter vero filius *Hadingus*, servili conditioni exilium præferens, in Russiam abiit: Unde postea reversus Svifdagerum in Gotlandia oppressit. Ab incunabulis, artibus magicis studuit Hadingus, præceptoribus usus Vagnoflo & Hapilo, pugilibus Sveonibus. Nec parum Hartgrepæ disciplina & Odini familiaritate profecit; adeo ut humanis viribus invictus haberetur. *Asmundum*, Svifdageri filium, Sveoniæ & Norvegiæ regem, prælio victum, interfecit, ab ipso tamen prius vulneratus

(*O*) Pont. l. 1.

& perpetua claudicatione mulctatus. Victoriam interim suam persequens, Sveoniam rapina & cædibus vastat. Inde ut illum detrahat, Daniam populatur *Uffo*, hosti faciens, quæ domi patiebatur. Et pro voto consilium cessit. Ad sua enim defendenda revocato, Hadingo spatium fuit, præsidiis regnum firmandi, &, quæ ad bellum facerent, providendi. Unde iterum irruens Hadingus, eo angustiarum redactus est, ut infando cibo famem vincere cogeretur, itineribusq; undiq; interceptis, vix tandem fuga elapsus, Uffonem per insidias postmodum oppressit. Sed jam cautior & incerta casuum reputans, Hunningum, Uffonis fratrem, arctissimo amicitiæ fœdere sibi conciliavit. Tantaq; his intercessit necessitudo, ut neuter alteri supervivere sustinuerit. Hadingi quidem morte vulgata, Hunningus ferale epulum exhibiturus, vas ingens mellei liquoris in cœnaculo statuit, ceterisq; in lætitiam solutis, seipsum in illud præcipitavit, dulcissimum mortis genus existimans, quod fidei & amicitiæ impenderetur. Hunningum, tam pio errore deceptum, videns Hadingus, in totius regni celebritate se suspendit; raro amicitiæ exemplo in illis, qui quondam hostes fuerant.

Caput VI.

DEbebatur *Regnero* sceptrum, sed novercæ Thorilæ odio, una cum fratre Thoraldo, ad servilis conditionis angustias redactus, inter bubulcorum sordes vitam exhibere cogebatur. Nulla interim improbitatis studia, fata irrita reddere valuerunt. Swanhwijta quippe, Hadingi filia, indignam juvenibus sortem miserata, modico famulitio stipata, eos inquirit: Sanctissimaq; parentum necessitudine commemorata, suum Regnero matrimo-

trimonium paciscitur. Hoc ille in spem regni erectus, novercam ultus est, & servilem squalorem purpura mutavit. (*p*) Ex Swanhwijta *Holbrotum* sustulit, regni successorem, affinemq; suum *Frotonem* primum, Daniæ regem, sæpius sibi infestum, interemit. (*q*) Holbrotus Esthones, Carelas & Russos armis subegit: & post immensam populorum stragem, Danorum etiam regem *Roë*, tribus præliis superatum, extinxit: quicquid inter Tanaim & Oceanum australem, imperio suo complexus. (*r*) Ex *Gyritha* Norvaga, duos, optimæ indolis filios, *Attilam* & *Hotherum* genuit, eosq; in fidem & disciplinam Gevaro, Norvegiæ regi, tradidit. Duræ interim servitutis suæ pertæsi Dani, *Helgone* duce ad libertatem adspirabant: in quos dum bellum parat Holbrotus, naufragio periit. Alii navali prælio occubuisse adserunt. Helgone defuncto, filiam ejus & una uxorem Ursam in matrimonium accepit Attila, amicitiæ forte & pacis pignus: sed illa, sive innata perfidia, sive patriæ servitutis memor, ultionis fraudem medita batur. Accito enim è Dania filio, Rolvoni Kråka/ mariti thesauros prodidit, fugam cum ipso simul capescens. Narrat hic vetustum Cronicum nostrum, Attilam tanta in Danos acerbitate fuisse, ut devictis canem Raccam, ad ludibrium & ignominiam, imposuerit: mortemque ei minatus fuerit, qui Raccæ interitum primus nuntiaret. Snio autem regni avidus, ænigmatibus regis animum tentavit: ajebat enim, in Dania apes sine Rege errare: tum in itinere multa sibi mira conspecta fuisse: vidisse enim lupum ab ovibus devoratum; tum vehicu-

(*p*) Haraldum Hist. Dan. vocant. (*q*) Saxo, Pont aliiq; Meursius tamen sua morte occubuisse adserit. (*r*) A. M. 3040. Paul.

hiculum a lupis abſumtum, tauris dilapſis; ſecurim etiam a muribus corroſam, manubrio illæſo. Non abſurdo viri ingenio delectatus Attila, an Racca mortuus esſet quæſivit? Abs te hoc audio reſpondit Snid. Quid vellet intelligens Attila, regnum pollicetur, evoluto prius ænigmatum involucro. Itaq; ſpei ſuæ non ambiguus hic Oedipus, obſcuros ſenſus ſic explicuit: Ruſticum nempe, ægris oviculis ſuis, diſſectas luporum carnes in medicinam coxiſſe: Caſtores etiam exiſos arborum truncos, ſtruendæ domus gratia, ſuper glaciem trahentes, conſpectis lupis aufugiſſe, in dorſum vero reclinatam, & trahæ vicem ſubeuntem, incubantiq; trunci pondere retentam, lupis in prædam ceſſiſſe. Tum ex caſeo fabricatis ſecuribus, lignea manubria inſeruiſſe pueros, quæ integra remanſiſſent, ſecuribus murium arroſu conſumtis. Cronico huic Runica conſentit Regum Danicorum ſeries, facti tamen circumſtantiis nonnihil variatis. Nullam hic veri ſpeciem agnoſcit Pontanus. Olaus etiam Vormius ſumma convitiorum acerbitate Johannem Magnum proſcindit, ut antea calumniator Roſenſontanus, quod in rebus patriæ noſtræ tradendis, hæc antiquorum monumentorum fide retuliſſet. Ego ut feràm & barbaram impotentiam, à virtutis & rationis laude longe proſcribo & deteſtor: ita majorum noſtrorum in injuriis vindicandis atrocitatem reputans, facti iſtius inſolentiam inter incredibilia non numero. (ſ) Nam & ſimile Gunnonis in Norvegos factum Saxo, & Oſteni regis noſtri in Nidroſienſes, prodit Snorre Sturleſſon. Si Danum quempiam hanc

(ſ) I Gudhrith Sigge Syſterſons tijda wart 5. Höfdinga i Danmarck. Och Sweriges Konung ſtickade en Racka at wara Kung i Danmark Comment. ad frag. Run.

hanc nobis contumeliam irrogasse prodidisset Saxo, non vanitatem & figmentum, sed ex Apollinis tripode prolatum, censisset Vormius, suoq; elogio exornasset. Cæcum igitur & lubricum ejus Oraculum, Vormio interpretandum relinquo, quod ob cædem Hundingi, Helgoni agnomen hæsisse asserit. Raccam & Hundingum idem valere nemini non cognitum. Utroq; enim canem vel canis filium, lingva nostra designat. Rolvonis sororem Skuldam, nuptiis sibi copulaverat *Hiartvarius*, scaniæ præfectus; sanctius tamen sibi Regis obsequium, quam affinitatis jura putavit, Rolvonem, cum pugilibus suis Biarkone & Hialtone, in arce zetra neci dedendo; ipse tamen brevi post, ab Voggone, Rolvonis amico, interfectus est. *Teutones* etiam ab Attila præliis attritos, in historiis nostris reperio. Et quia hærede masculo carebat, regnum ad Fratrem ejus *Hotherum* devolutum est. Multa hic à natura eximia habuit. In his ingenium excelsum, & optimis artibus exultum, Eloquentia & amicitiæ conciliandæ peritia omnes anteibat. Meruissetq; inter omnes Reges principem locum, si magicæ artis absuisset ludibrium. Ista juvenis indole capta Nanna, Gevari filia, amoris mutui fidem dat. Pari voto hanc ambiebat Balderus, Selandiæ princeps, sed spei suæ irritus, domum revertit, repulsæ dolorem in infelicem æmulum effusurus. Popularibus igitur ad rebellionem stimulatis; Galderoq;, Saxonum rege, in belli societatem allecto, Odinum, cujus, propter magicæ superstitionis disciplinam, filius habebatur, ceteraque bellorum numina, in partes pertraxit. His Deorum sacris agminibus, multisque bellatorum legionibus, accinctus, æmulum adoritur. Tanta huic virtutis suæ fiducia fuit, ut, quamvis Deos ad hostem defecisse intelligeret, victoriæ tamen numen in dextra sua

se

se portare existimaret. Divinis humanisque viribus permixtum prælium, alium habuit eventum, quam nostri præcipere potuisset divinatio. Victi cessere Dii, & Balderus, dignus istis numinibus alumnus, turpi fuga sibi consuluit. Major multo Galderi gloria, in ipso prælio cadentis; Cujus cadaver, pulcherrimis funeris exsequiis elatum, regio rogo ab Hothero crematum fuit. Classe depressa, hostibusq;, sponsam, solemni nuptiarum ritu sibi copulatam, in Sveciam abducit Hotherus. In Sialandiam reversus Balderus, cœptam semel rebellionem acrius urgebat, popularibus regnum conferentibus. Ad motus istos compescendos, tumultuario collecto milite, profectus Hotherus, pugna inferior, in Jutiam concessit. Inde domum repetens, à Dania inquieta & rebelli abstinere cogitavit. Optimatibus tamen aliter decernentibus, novis militum delectibus exercitum auxit, cujus ope, Baldero vitam & regnum abstulit. Danis in priorem servitutem recidentibus, Gevarum socerum, Norvegiæ regem, cum quidam Gunno sive Gauto, homo potens & ambitiosus, insidiis sustulisset, ferro parricidam ultus est, & paternum principatum, Hertleto & Gerito filiis restituit. Tandem quidam Bous, infami Odini, cum Rinda, stupro apud Rutenos editus, fratris Balderi necem ulcisci aggressus est. Hotherus, ut adversus subita casuum se & regnum muniret, filium Rodericum, Sveonibus, Gothis & Danis præfecit, securius pericula excepturus, postquam regno consuluisset. Ista tamen solicitudo, mortis secuturæ quasi omen fuit. In prælio enim contra Boum cecidit, & brevi post ipse Bous ex vulnerum dolore decessit. In harum rerum enarratione, præter fabularum paradoxa, multa lubrica, sibi contraria & aperte falsa comminiscitur Saxo lib. 3. ut mirari liceat hominis securitatem.

tatem. Fingit enim, Sveones Danis tributa solvisse, & Hotheri morte, ab isto necessitatis obsequio liberatos. Cum interim antea fateri coactus fuerit, Hotherum à *S*veonibus Daniæ regem impositum fuisse. Hotheri mors Selandis etiam defectionis audaciam fecit. Ad illos in ordinem redigendos, classem validam instruxit Rodericus, factaque exscensione, in insidiis latitantes pro merito mulctavit. Igitur quidam eorum, ferocia promtus, singulare certamen offert, ea lege, ut victor patriam servitute liberaret, aut victus suorum calamitatem auspicaretur. Nec denegata virtuti ejus hæc arena, in qua Roderici militem, animo quam viribus valentiorem, oppressit. Commilitonis clade haud motus Ubbo, natione Danus, in gloriantem & exultantem operam suam offert. Röricum tamen periculi sui præmia poscit. Ille armillas, Ubboni datas è puppi, langvidiori brachio, quam interstitii magnitudo postulabat, excussit; quo factum, ut undis interceptæ, Rörico cognomen Slingaband dederint. Et quamvis casus præmium intervertisset, libertate incitatus adversarium adoritur: qui pro ira & præmio concurrentes, mutuis se vulneribus conficiunt: necisq; suæ impendio, ceterorum pericula redimunt: Horvendillum, virum strenuum, & piratica celebrem, sororis suæ Gerutæ nuptiis honoravit, Jutiæque præsidem dedit Röricus; ut geminato beneficio obnoxium sibi faceret. Istius felicitatis invidia succensus Fengo, fratrem parricidio sustulit, uxoremque ejus Gerutam stupravit; & postea incestu sibi copulavit, trucidassetq; filium ejus Amletum, nisi vecordiæ & stoliditatis simulatione, partrui crudelitatem evasisset. Verum & sic suspectus, in Britannia interficiendum mandavit. Sed homo callidus pericula in gloriam suam vertit, & in patriam

redux, Fengonem, cum omnibus suis crapula saucium, immisso igne, combussit: parenti vindictam, sibi regnum, quærens, quod tamen postea cum vita ipsi ademit Vigletus. Ista parricidiorum certamina execratus Rôricus, gentem male obsequentem, sub propriis Tyrannis pœnas luere permisit: Ipse Gothis & Sveonibus suis ad provectam ætatem pacate præfuit. Ad paternum principatum evectus *Atislus* (*Attila*,) finitimis late bello pressis, iniquo admodum animo tulit, Vigleti filium Vermundum, Daniam injusto titulo possidere: utpote quæ sibi legitimo Regi deberetur. Et cum restitutionem aut tributorum obsequium per legatos frustra ursisset, jus suum armis repetere statuit. Facta igitur irruptione, Daniam armis late pervasit, atq; ad Slesvicum resistere audentem, Vermundi exercitum cecidit, profligavitq;. Ipsum Frovinum, summum militiæ ducem, duello prostravit. Vermundus, promisso se victoris majestatem comiter observaturum, amissum bello regnum, obsequii addictione retinuit. Isthoc artificio incubantem faucibus Atislum ab se amolitus, quod promiserat, implere insuper habuit. Facilitatem suam, contemtu elusam, supra modum indignatus Atislus, instructo Daniam exercitu petit. Sed comparatis ad resistendum viribus, re infecta eum redire coëgit Vermundus. Atisli interim potentiam sibi & regno aliquando extiosam fore timens, Ketonem & Vigonem Frovini filios, percussores in eum immittit. Illi & præmio invitati, & paternæ ultionis avidi, suppressis natalibus & adventus consilio, Atisli regiam petunt. Qui hospites, gentis nostræ more, benigne & comiter accepit; mox etiam inter familiares admisit. Nulla tamen beneficii gratia proditorum perfidiam vincere potuit. Nam & solum & incautum simul adorti, trucidarunt. Quo scelere

lere magnam apud exteros contraxere ignominiam Dani, ſemiviri & imbelles habiti; quod publico more ſancitam duelli legem, infami opprobrio violaſſent.

Caput VII.

BOtvildi principatus & ipſi & regno ejus exitioſus fuit. Magna ipſi indoles, nec obſcura virtutis documenta, ſi legum potius præſcripto, quam conſilio improborum, imperandum ſibi putaviſſet. *Sed divinam plane oportet eſſe indolem, quam in ſumma licentia aſſentatorum non pervertat improbitas.* Itaque, cum civium odio flagraret, bello etiam a Danorum rege Hugledo laceſſitus. Non defuit ipſi vindicandi promtitudo; ſed averſis ab ſe civium animis, vix modicam claſſem inſtruere potuit, cui Hogrimum & Hoſmodum præfecit. Claſſiariis autem officia invito facientibus, victoria amiſſa eſt, Duces interfecti. Has res inproſpere geſtas, improviſa Muſcorum irruptio magis afflixit. Igitur conſilii incertus Botvildus, ſuamq; magis quam Civium ſalutem curans, ad Carelas profugit. Rebus tamen utcunque pacatis, inglorius revertitur, & mox decedit. Alieno periculo meliores imperandi artes edoctus *Carolus*, quicquid deliquerat Botvildus, virtute ſua emendavit. Cumq; innocentia ceteros anteiret, leges, quarum ipſe exemplar fuit, ſubditis facile perſvaſit. Nec civibus magis quam peregrinis amatus fuit. Quorum in gratiam & iſtam tulit legem, ut, qui hoſpitem tecto ter arcuiſſe convinceretur, hujus, ſubjecto igne, comburerentur ædes. Iſtis moribus pacem magis quam arma excoluit: nec ullum ejus bellicum facinus commemorant faſti, niſi quod Tordonem generum, Norvegiæ Regulum, ſignis infeſtis ſe petentem, manu ſua in-

 terfe-

terfecit. Ejus desiderium & amorem *Grimmeri* intendebat avaritia & crudelitas. (*t*) Deorum fanum Upsalæ diripuit, catenamq; auream immensi pretii & cetera delubri instrumenta abstulit. Exactionum præterea, quibus subditos exhauriebat, nullus erat modus. Nec ut patriæ necessitatibus subveniret; ut bene meritos ministros præmiaretur, ista corrasit: sed ut specioso fulgore insatiabiles oculos suos pasceret. Et cum publicum prædonem execrarentur Cives, vindictam non distulere fata. De improviso enim irruentes Esthones, comprehensum Regem in furcam egerunt, suis succurrere parum laborantibus. *Tordoni*, quamquam egregiæ indolis, multum paterna delicta obfuerunt. Civium tamen benevolentiam summo studio adfectabat. Et profligatis Esthonibus atque Saxonibus, qui piratica Codanum mare infestabant, tam carus civibus evasit, quam exosus ante & contemtus pater fuit. *Gotharus*, Frotonem Vegetum (Freine) Daniæ regem. ob cædem in Frogerum, socerum suum, Norvegiæ regem, patratam, interemit. Filio tamen ejus Dano, ejus nominis tertio, admodum puero regnum non ademit. Quin adversus Saxones, bello lacessentes, auxilio juvit. (*u*) Inter hunc Danum, & Gothari filium *Attaulfum*, grave bellum exarsit. Decretum utrinque acerrime navali prœlio: victus Danus, quiq; in auxiliis erant, cervices Gothari jugo submittere coacti sunt. Attaulfo *Algothus*, huic *Ericus*, & post *Lindormus* successerunt. Quo adversus Esthones & Rutenos occupato, Dani, Fridlevo Celere autore, excusso Sveonum jugo, in libertatem se adseruerunt. Lindormo mortuo, Sveones, Gothis incon-

(*t*) 3445. Paul. (*u*) Joh. M. ex fragment. rerum Angl. & Dan. Romæ in ædibus D. Brigittæ asservatis.

confultis, *Alricum*, Gothi pari æmulatione *Geftillum* (Geftiblindum) regem creavere. Hinc furiofa illa belli tempeftas, quæ Regna florentiffia civilibus armis diu afflixit. Alricns quippe univerfas Sveonum vires in Geftillum convertit. Hic refiftendi impar, auxilia ab Rollero, Norvegiæ rege, & Frothone tertio impetravit: quæ ductabat *Ericus* Difertus; vir manu ftrenuus, & confilio non inferior. Primo impetu Gauthonus, Alrici filius, obtritus eft: Inde pater fingulari certamine ab Erico, qui provocati Geftilli, fed fenis & debilis, vices fubierat, oppreffus. Ex vulneribus convalefcentem Ericum Sveonibus per vim impofuit Geftillus: & in Gothiæ regno fucceflorem etiam habuit. Erat hic natione Norvegus, & fub Getharo rege, virtutis tirocinia juvenis depofuerat. Inde Frothonis militiam fecutus, ftipendia plura meruerat. Cujus fororem Gunnaram in matrimonium accepit, eloquentiæ fuæ præmium. Erat enim admodum difertus, &, quod mirere, avium brutorumq; voces interpretari callebat. Sveonum Gothorumq; inito regno, odia & contrariorum fuffragiorum fimultates prudenter compofuit. Pace & pluribus commodis effloruit Principatus ejus. Procefferat enim mortalium votis exoptata dies, qua clariffimum pacis fidus, fervator Chriftus, mundo fe intulit.

Caput VIII.

ERrico *Gödricus* & *Haldanus* filii fuere: illum Gothi, hunc Sveones, regem fibi eligunt. Nec defuerunt qui Gödrici aures pravis confiliis pulfarent: ignaviæ argumentum exprobrantes, majorem principatus paterni portionem fecundo genito Haldano ceffiffe. Sed ille civium vota, & fraternæ caritatis jura fanctiora apud fe effe

 repo-

reposuit, quam ullam ditionum amplitudinem. Si quietis impatientes essent, se gloriosum illis bellum quæsiturum. (x) Et continuo in terras trans Codanum expeditione suscepta, armis eas in potestatem redegit. Hic vero copiis ejus divisis, pars ad Alpium juga delati, *Svitseros* condidere; alii in Britanniam concedentes, Pictorum genti originem dedere; Multi cum Godrico in patriam reverterunt. *Filimerus* Magnus, alias Vilchinus, post patris reditum, totum istum Scythiæ tractum, sub ditione sua tenuit. Sed non eadem *Niordiani* virtus aut fortuna fuit. Hunc quippe, omnesq; Gothos è Russia expulit *Hernitus:* qui per Sarmatiam & Scythiam palantes, popularibus suis in Thracia conjunguntur. Hernitus vero etiam in Sveones victoriam suam persecutus est. Sed & ille rejectus, & filii ejus Hernitus & Osantrix in expeditione illa interierunt. Gödrici expeditione imminutæ admodum fuerunt Patriæ vires. Itaque Norvegi, injuriarum, ab Erico illatarum, memores, Haldano bellum inferunt. Ille adsumpto in societatem Fridlevo, Frothonis filio, qui apud Rutenos degebat, Norvegos repressit. Et acceptæ operæ non ingratus æstimator, Fridlevum in paternum principatum adseruit, profligato Hiarnone, cui propter Epitaphium, in Frothonis cineres conditum, popularis æstimatio sceptrum dederat. Inde etiam adversus Amundum, Norvegiæ regem, auxilio juvit. Filiam enim ejus Frogertam in matrimonium frustra petens, repulsæ injuriam armis ulcisci statuit, patreq; interfecto, virginem, non invitam, duxit. Severum Haldani imperium aversati potentiores nonnulli, ipsum interficiunt. Et difficulter admodum filius ejus *Sigvardus* ad principatum pervenit. *Carolum* interim, Niordiani fili-

(x) 2;da Gothorum emigratio. A. C. 72.

filium, Gothi seorsim sibi regem capiunt: recruduitq; soporatus invidiæ dolor, qui horrendis casibus hæc regna involverat. Erant Olavo, Daniæ Regi, duo filii, Frotho & Haraldus. Hic Caroli filiam *Signem*, Frotho Ulfildam Sigvardo natam, uxores ducunt. Hæc, æmulationis impatiens, maritum ad parricidium impellit. Itaque, sublato per insidias Haraldo fratre, Carolum, nepotum tutorem, oppressit. Adultior interim *Haldanus*, Haraldi filius, Patris avique necem, patrui parricidio vindicavit. Sigvardum etiam socerum ejus pari ferocia sustulit. Nec stetit semel incitatus furor. Regem creaverant Sveones *Ericum*, Sigvardi ex Ulfilda nepotem. Hunc bello persequens, graviter vulneratur. Ubi convaluit, iterum infeliciter oppugnat. Ericus vero fortunæ suæ insistens, fratrem ejus Haraldum, rerum in Dania potiuntem, tribus fusum præliis, quarto interemit. Sed felicia ista tristior eventus excepit. Haldanus quippe tot cladibus asperatus, strenue moriendo, malis suis defungi satagebat. Sed, quæ hactenus eum persecuta erat fortuna, ad ultimum non destituit. Pugna enim navali superior Ericum comprehendit, ejusque sangvine fraternis manibus & indignationi suæ parentavit. Ita sublatis omnibus æmulis, Sveoniæ regnum adeptus est. Multis tamen displicuit sceptrum, quod tot regum sangvine fœdatum erat. Inter illos Sivaldus quidam, magno loco natus, animique audacia natales æquans, invidiosa regem oratione apud populum insectatus; *Miserari se*, ait, *fortunas* Patriæ, *quod in solio regio illum venerari necessum sit, qui tot illud regum sangvine cruentaverit: Qui adolescentiam suam tot parricidiis imbuerit: qui naturæ jus & patrui majestatem conculcaverit. Illacrimare se, quoties Sigvardi & Erici regum desideratissimorum, solium ab infami hoc parricida occupa-*

cupatum videat. Si generosum quodq; pectus justus concitaret dolor, externum hunc Tyrannum, tot sceleribus & parricidiis coopertum, cervicibus publicis haud diu insultaturum, justosq; & legitimos non defuturos principes, qui tantum dedecus & opprobrium virtute sua deleret. De tulissent *Sivaldo* imperium, nisi superveniens Haldani miles concionem disjecisset. Desertus itaq; Sivaldus, duello Haldanum provocat, & cum septem filiis interficitur. Pari virtute Hardbenum Helsingum, novem cubitorum mensura monstrosum, Cytherum etiam, Grimmonem, Ebbonemq;, pluresq; alios gigantes, oppressit: habitusq; est inter pugiles ea tempestate, præstantissimus. Haldano mortuo, *Vngvinus*, Gothorum Rex, provecta jam ætate, Sveones & Danos sceptro suo adjungit. Periit vero Rengvaldi insidiis, qui regio sangvine ortus, per factionem optimatum Sveoniæ regnum consecutus erat. Parentis tamen necem ultus est sigvaldus, & in Selandia prælio victum Rengvaldum extinxit. Rengvaldo cæso, apud Sveones successit filius *Amundus*, quatuor liberorum genitor. In illis Hako, magnitudinis paternæ hæres, piratica Hiberniam vexabat. Helvinus vero Hagbartus & Amundus, ne fratri audacia inferiores haberentur, & ipsi piraticam aggressi, in Siggari, Danorum regis, filios Alfum & Algerum, eidem studio deditos, inciderunt, commissoque acriter prælio, pacis fœdus & amicitiam inter se sanciverunt. Cujus auspicio in regiam Siggari admissi, omnibus humanitatis officiis excipiuntur. Fuit autem Siggaro filia *Signe*, formæ & morum illecebris sui seculi facile princeps. In illam, mutui amoris flamma, statim exarsit Hagbartus; nec difficulter votis suis obnoxiam reddidit. Igitur Hildegisle ex Teutonia procus, amorem suum non incertum modo, sed & præventum dolens, ad in-

insidias, & sveta aulis scelera, convertitur, operam mercatus sycophantæ cujusdam Botvisi. Hic odiorum ingeniosus artifex, Alfum & Algerum, in cædem Helvini & Amundi induxit. Superveniens tamen Hagbartus, fratrum interfectores morte mulctavit. Hildegisle, nates telo trajectus, elapsus est. Hoc patrato facinore, justam Sigardi indignationem veritus, fuga sibi consuluit. Duro tamen amoris imperio subactus, haud dubium vitæ periculum subire coactus est. Itaqꝫ muliebris cultus favore in regiam irrepens, furtivo Signes amore & amplexibus fruitur. Voti sui damnatus, si invidenda ipsum felicitas non evertisset. Famulæ enim garrulitate vel perfidia proditus, multis stipatorum manu sua prius interfectis, in vincula abripitur. Inde ob cædem regiorum juvenum filiæqꝫ stuprum, mortis sententia prolata, infelici arbore suspensus est. Signe, ut amasio vicem referret, fideiqꝫ non vulgare documentum proderet, incensa gynæconiti, peplo gulam elisit. Tam funestum exitum amor incautus sortitus est; illis etiam exitiosum, qui supplicium procuraverunt. Hako enim, accepto fratrum interitu, omne piraticæ expeditionis robur in Sigarum convertit, eumqꝫ interfecit: filiumqꝫ ejus Sivaldum, vindictam cogitantem, altero prælio delevit. Et victoria inhumaniter usus, quicquid obvium erat, furori suo immolavit. (*y*) Ista sævitia omnem domus regiæ stirpem exscidit, sola excepta Gyrita, quam ex Alphilda, Sivardi Gothorum regis filia, sustulerat Alfus. Et cum nemo superesset, in quem regni fortuna transferri posset, singulæ provinciæ separatos accepere præfectos.

E Caput

(*y*) Saxo, Lindenborg. Pontanus.

Caput IX.

HAkone è vivis ſublato, Sveones *Ingonem* ſuffecerunt, qui, oppreſſo Sigvardo Gothorum rege, principatum ejus ſibi adſeruit. Stabilita regum ſede Upſalæ, illas eligendorum ſolemnitates ad lapidem Mora Sten ſub dio fieri præcepit. Publicam etiam regni circuitionem (Eriksgatu) ab eo inſtitutam memoratur. Duos poſt ſe reliquit filios, utroſq; reges. Majorem natu *Nearchum*, fata properata imperio eripuerunt; *Froë* vero diutius civium deſideriis commodaverunt. Huic ex merito *pacifici* nomen impoſitum. Quam carus acceptusque civibus fuit, inde liquet, quod rebus humanis exemptum divinis honoribus donaverint. Si quis in Judicio probatione legitima deficeretur, rei dubiæ fidem armis adſtruere permittebat. Succeſſorem ejus *Urbanum* gemina ſoboles beavit: Nordianum ſibi Norvegi (Trondhemenſes) regem petiverunt: *Oſtenum* paternæ magnitudo fortunæ manebat. Subditorum inſidiis circumvento Nordiano, merito exacerbatus Oſtenus, ſatrapem ſuum Gunnarum cum copiis miſit, qui à perfidis pœnam exigeret. (z) Ille rigidi mandati executor ſævus, nuper creatum regem Rengvaldum interfecit; & ex filia ejus Drotta, ſtupro cognita, Hildigerum procreavit. Devictis autem Norvegis (Trondenſibus) & peſſima conditione mulctatis, canem ſuum Sòr / per contumeliam impoſuit: addictoq; ſatellitio, regium ei honorem deferri ſub pœna capitis injunxit. Gunnaro interfecto, Drottam ſibi matrimonio copulat Brocarus, quæ Haldanum ipſi genuit. Hic cum ado-

****

(z) Oſlin Jllrada Snor. Sturl. Saxo lib. 7.

adolevisset, fratrem Hildigerum duello prostravit: Et ex Gyrita, Alsi filia, Haraldum, Daniæ postea regem, procreavit. Osteno sine prole mascula defuncto, quadraginta circiter annis, regum creandorum suffragiis divisi inter se, Gothi Sveonesque agitabant. Quo temporis decursu apud Gothos sex, quatuor vero apud Sveones imperaverunt reges. Et *Siolmum* quidem Froë ex Gerdta filium, sed turpissimum commessatorem, Gothi regem creaverunt. Cujus probrosam vitam consentaneus clausit exitus. Servorum enim suorum jurgiis, inter pocula oppressus, & in mulsi cadum submersus interiit. (*a*) Filium ejus *Sverkerum*, hominem robustissimum, ut manum lapidi impressisse dicatur, ferocior equus decussum exanimavit. *Vallander* uxoris suæ Dvivæ veneficiis periit. Repudii quippe injuria efferata, incubo suffocari fecit. *Visburum*, hominem sordidum & ignavum, non impetrata repudiatæ matris Audæ dote, proprii filii incendio sustulerunt. *Domalder* cum regnum avaritia exhausisset, ad sedandam annonæ difficultatem, Thoreldæ Upsalæ immolatus est. *Domari*, per vitia sua invisi, regnum diuturnum non fuit. *Attila* apud Sveones defuncto, suffectus est *Digver*, virtute magis sua & meritis, quam natalibus conspicuus. (*b*) Patris meritum æquabat *Dager*, expeditione sua in Danos & Rutenos non infelix: *Alricum* ob imperii modestiam, plurimum amabant subditi; importuno tamen fratris Erici jurgio lacessitus, inter venandum fræno capite comminuto, corruit, fratricida una expirante. *Ingo* (*Ingve*, Ingemar/ Agni/ Snor. Sturl.) Sveonum Gothorumq; imperio potitus, succrescentem

E 2 Ha-

****

(*a*) De hoc vid. fab. Snor. Sturl. (*b*) Digvi war then forsti som kalla des Kung/ de forna het Drottar.

Haraldi Hildetani, qui, in præfecturas dispersas Daniæ provincias, regis titulo collegit, potentiam suspectans, bellum illi publice indicit. Anticipatis vero per Haraldum insidiis, scelere uxoris Skiælvæ, feminæ Danicæ, in insula Agnafith, ubi nunc Holmia sita est, periit. Novam pœnam sceleris atrocitas meruisse videbatur. Itaq; egesta humo, in specum vivam intruserunt; indignam, quæ ad solis intuitum animam impiam efflaret. In fratris imperium, juxta & inimicitias, succedens *Ingellus*, Haraldum bis profligavit, sororemq; ejus Geram raptam, infelici sibi matrimonio junxit. Violato enim genialis thori sacramento, pudicitiam turpiter habuit. Hoc promiscuæ libidinis commercio, etiam mariti fratrem, Alferum implicuit. Nata hinc indignationis & odiorum acerbitas, in regis cædem tandem prorupit. Per idem tempus Hako quidam in Norvegia potens, excursionibus & latrociniis Sveoniam vexabat, interfecto Huglecho Alferi filio. In hunc armati *Jorundus* & *Ericus*, Ingelli filii, acerrimum prælium conseruerunt. Erico interfecto, Jorundoq; in fugam acto, lethaliter vulneratus Hako, in navim suam se deferri præcepit, sublatisque velis, in altum provectus, navem incendit, multiplicatæ mortis spectaculo, posteritatis commendationem redemturus. Regno solemniter inito, piraticam tamen semper exercuit Jorundus, & Daniæ ubiq; imminens, insidiis tamen excipitur & ad fretum Odasund, prope sinum Limfiord, elisa gula interiit. Supra modum indignatus *Haquinus Ringo*, Jorundi frater, Sveones virtute semper superiores, insidiis tamen Danicis succumbere, vindicta semel defungi satagebat: omnemq; bello aptam ætatem armabat. Tanti apparatus fama excitatus Haraldus, ex suis sociorumq; auxiliis, infinitam prope bellatorum vim contraxit. Pugnatum in

Bra-

Bravallinis, Verendiæ campis, tanto animorum ardore, tanto pugnantium numero & virtute, ut nullum unquam illustrius prælium, in Borealibus his terris ad posteritatis memoriam pervenerit. Ipse Ringo inter primos Martem acerrime ciebat: *Starkaterus* & *Olo* ipsa agmina protere-bant: Dalekarli sagittarii turbatos ordines in fugam verterunt. Regis sui morte vulgata (ab auriga Bunone interfectum constat) Dani non occulte pedem referre cœperunt. Ejus consternationis ignarus Ringo, fortunaq; strenue usus, stragem memorabilem edidit. Autor est Saxo, procerum Sveonum duodecim millibus desideratis, Danorum gregariis non computatis, triginta millia eminentioris militiæ cecidisse. Equidem, si ex apparatus magnitudine, & pugnantium ira, stragem æstimari conveniat, magnam fuisse crediderim, longe tamen infra istum numerum constitisse. Sed famæ in majus omnia extollenti velificatus Saxo, quousq; posteritatis admiratio progredi posset, experiri voluit. Modestior tamen hic multo quam in Frothonis Tertii facinoribus commemorandis lib. 5. p. 89.: quem uno prælio nongentas myriades Hunnorum devicisse, Regibusque centum septuaginta subjugum missis, regna eorum sibi subjecisse, adseverat. Si totidem testibus factum adstrueret, sanis tamen fidem non faceret, cum tot Reges simul universus orbis non tulerit; & ad centesimam orbis partem, Frothonini nominis fama haud pervenerit. Tam illustri victoria potitus Ringo, perquisitum inter cæsorum cadavera corpus Haraldi, regio plane funere extulit. Rogo ex aurata ejus puppi constructo, corpus cum armis, & pretio rarioribus donis, cremavit; Cineresq; urnula collectos, cum equo aureis stragulis, titulo ejus dedicato, funerandos mandavit. Ultimo adjecto voto, ut hoc vectore usus, fati con-

conſortes, ad nigram ditis aulam antecederet; ceteriq; illuc tendentibus placidarum expeteret ſedes. Hoc pietatis officio defunctus, ſingulis belli ducibus militaria præmia diſtribuit. Starkaterus ſola gloria contentus fuit. Oloni conſangvineo Scaniæ præfecturam dedit. Hethæ ſibi tributariæ Juthiam & Selandiam ſubjecit. Sed feminæ jugum aſpernati, Oloni poteſtatem in ſe faciunt. Mox conſilii pœnitentes, ingenti auri pondere Starkaterum in cædem ejus impellunt.

Caput X.

ERat hic Starkaterus patre Storverko in Helſingia natus, ſupraq; communem ſtaturam longe evectus, pari robore & vivacitate tria hominum ſecula peregit. In Vichari Norigiæ Regis jugulo, Deorum favori facinorum ſuorum principia dedicavit. Hinc piraticam agens, Ruſſiam invaſit: Superatoq; Flocco & contracta cum Biarmenſibus athletis familiaritate, Haldani Sveonum regis militiam ſecutus eſt. Inde in Hiberniam tranſiens, egregium fortitudinis ſpecimen in Duos pugiles edidit. Et ne Ruſſia virtutem ejus ignoraret, in rupe Anafiäll, magnæ opinionis gladiatorem Viſinum oppreſſit. In Sarmatia Vaſce, in Thracia Tannam lucta contrivit. Hamo apud Saxones congreſſus, pugno ejus contuſus in terram ruit: mox, indignatione vires acuente, immerſum capiti ferrum uno ictu ad nates uſque adegit. Rurſus Haldani militiam amplexus, abſtractum deliciis animum continuo armorum rigori impendit. Helgonis Norvegi ſponſam, oppreſſis ſimul novem gigantibus in montibus borealibus, adſeruit. Sex quidem ſine mutuo vulnere, ceteros prope deficiens confecit. Virium & laudis æmulos, lacertorum robore, imbelles & effeminatos, aculeatis ſeveris-

verisque exprobationibus ulciſcebatur, Claro autem ſangvine natos à majorum virtute degenerare indignanter tulit. *Ingello*, qui, damnato paternæ frugalitatis inſtituto, luxuria diffluebat, ſaccum carbonum miſit, ad naſum acuendum, ut inquiebat, quo necis paternæ autores pro merito mulctare auderet. Altero autem in virtutis viam non redeunte, memor familiaritatis, quæ ſibi cum Frothone interceſſerat, ipſe in Daniam conceſſit, Regemque vitiis ſuis perditum, in meliorem frugem perduxit. Videtur equidem in gloriam iſtius ſeculi hunc virum produxiſſe natura. Non enim fortitudinis laude tantum ceteros omnes anteiverit, ſed ſapientia etiam & integritate *vitæ.* Nullius thorum concuſſit, nec innuptarum pudorem ſollicitavit: Caſtitatis in ſe pariter & aliis ſeverus exactor. Gulæ illecebras, delicataſque nequitias hoſtili odio proſequebatur. Parcimoniam autem & frugalitatem unice amabat, & carminum eloquiis celebrabat. Erat enim in poëſi patria diſertiſſimus. Itaque & ſua & aliorum præclara facinora æternitati conſecravit. Hiſtoriam belli, quod inter Ringonem & Haraldum interceſſit, adcurata ſerie digeſtam, memoriæ poſteritatis tradidit. Neminem injuria affecit: nec quemquam provocavit, niſi laceſſitus, aut ſceleribus ejus iratus. Artem magicam, illis temporibus nimis familiarem, ut ingenuo homine indignam, averſabatur. Nihil denique in tota vita patraverat, cujus ipſum pœnitebat, Olonis cædem ſi excipias, cujus ad ultimum vitæ punctum acerba ipſi recordatio fuit. Tandem prolixa ætate defeſſus, glorioſam vitæ ſeriem illuſtri actu abrumpere, fatumque proprio arbitrio ſibi maturare, egregium putavit. Itaque prolato centum viginti librarum auro, quod emendi in ſe percuſſoris gratia gerebat, Hatherum, ad patris Lenni, a ſe interfecti, vindi-

ctam hortatur; *Diu, inquiens, sibi tam clari percussoris operam desideratum; Horruisse ab ignava dextra fatum deposcere. Igitur jam vicem referat, jugulumq; obire cupientis, ferro vindice demetat.* Annuenti ensem porrigit, monito tamen, ne muliebriter eo uteretur. Adjecit etiam, armis insuperabilem futurum, si peracta cæde, ante cadaveris lapsum truncum caputq; intersiliret. Caput cervice decussum, morsu terram petivit, ferocitatem retinens viventis. Percussor fraudem veritus, saltu abstinuit, ne forte eximii cadaveris mole obrueretur, tristemq; operæ commodatæ mercedem reciperet, Humanitatis tamen haud immemor, corpus ejus ultimo funeris honore prosecutus est. Generosum illud anticipatæ mortis consilium, in se exsequi noluit Ringo (vocatur hic etiam Aune in historiis nostris;) quin tantum ipsi fuit vitæ desiderium, ut, ejus prorogandæ gratia, novem ordine filios Odino immolaret Snor. Sturl.: singulorumq; parricidio decennium lucratus, eo ætatis processit, ut infantium more, lacte in os instillato, sustentandus foret. Cron. Sveon.

Caput XI.

ITa fracti ab Ringone Dani videbantur, ut, ad libertatem rursus aspiraturos, nemo crederet. Sed ut nemo tam imbellis afflictusve est, quin spei melioris capax sit, ita Olonis filium Omundum, pro libertatis recuperatione nihil non audentem, cupide amplectuntur Dani. Quoque facilius ausa perficerent, *Egillum Vendelkråka*, rerum in Sveonia potitum, & non dubium rebellionis vindicem, bello domestico implicaverunt. Motibus illis tandem compositis, cum pro victoria, Diis suis Upsalæ sacrum faceret Egillus, taurumq; ferientium manibus elapsum, non cer-

to

to satis venabuli ictu impeteret, cornibus ejus transverberatus corruit. *Otarus* (Gotharus) nunquam fidum Danorum obsequium videns, nisi ferro coërceretur, maluit patrio regno frui, quam in alieno acquirendo vires suas atterere. Igitur legatum suum Ebbe in Daniam expedivit, nuptiarum inter se & Omundi filiam conciliatorem. Re ex voto gesta, reversum, ad sponsam adducendam, iterato mittit. Sed in itinere insidiis tantum non oppressus, acceptæ injuriæ nuncius regi suo fuit. Nec dubius à Sivaldo, virginis fratre, insidias structas, pœnas de perfido sumere festinabat, quem, in Scania cum delectis militum occurrentem, profligavit; &, quicquid intra fretum Oresund fuit, ditionis suæ fecit. Iterum, reparatis viribus, belli fortunam subeuntem, præfectus Scaniæ Simon Snare (celer) internecione delevit. Sclavorum interim captivitate elapsus *Jarmericus*, ad recuperandam Scaniam animum adjecit. Et commodum ipsi accidit, quod Sibbonem quendam, stupri cum sorore sua compertum, supplicio affecerat Gotharus: Propinqui quippe ejus, cædis injuria se læsos arbitrantes, ad Jarmericum profugerunt: eiq; Scaniæ recipiendæ adjutores fuerunt. Circa hæc tempora a. C. 382. sæva fame septentrionem nostrum adflictum fuisse, memorant annales, magnamq; hominum multitudinem, Acone & Ebbe ducibus, patria egressam, quæsitis primum circa Rhenum sedibus, inde inter Alpes & Apenninum considentem, gentem Longobardorum condidisse. Originis equidem veritatem sibi constare, nemo dubitaverit; cum præter publicam traditionem, ipsum nomen id evincat. Sic enim ab armorum genere, & longis bipennibus (nobis långa Barder) non à prolixitate barbæ, multis nationibus tunc usitatæ, dici ratio persvadet. Temporis tamen supputationem vacillare is facile

le deprehenderit, qui Straboni, Ptolomæo, Paterculo, Tacitoque Longobardicum nomen, & quidem Germanico cœlo ferocius, innotuisse videt. Rem intricatam facile tamen expediverit; prout Gothi etiam primum Béricone duce, inde Gôtherici auspiciis, multis seculis post, è Scandia eruperunt. Pontanum interim Stephaniumq; Vanefridi commentarium obstrigilantes miror; & ex carmine quodam Gothico vetustissimo, ut ajunt, aliam emigrationis Longobardicæ seriem comminiscentes. Itane homines, famæ suæ securi, fuco apertissimo, legentium oculis illudere se posse speraverunt? Carmen illud nec vetustum, nec Gothicum, sed heri aut hodie, ab inepto quodam versificatore, & quidem dialecto Jutica consarcinatum esse, qui primis labris veteris lingvæ saporem gustavit, facile discernet. Priusquam in Italiam irrumperent Longobardi, reges habuerunt, *Aconem*, *Ebbe*, *Hagilmundum*, *Lanussionem*, *Cethum*, *Hildochum*, *Godocum*, *Classo*, *Tatho*, *Vaco*, *Valdaricum*, *Audainum*, *&* *Alboinum*, a Narsete, in Italiam, contra Gothos, cum gente sua illectum. Inde ex auxiliatoribus Domini facti, fundato imperio, triginta duobus regibus paruerunt. Donec eorum ultimum *Desiderium*, Romano Pontifici gravem, Carolus Magnus devicerit, gentemq; bellicosam imperio suo subderet. Sed ex diverticulo ad domestica redeamus. Post Otharum *Gudmundus*, inde *Adelus* (Aldr. Attil) imperavit, qui suis Sclavorumque viribus, de Jarmerico triumphans, cum vota & supplicationes Diis Upsalæ redditurus esset, equo ferociori, quem in deliciis habebat, excussus, cervicem fregit. *Ostenus* ob impotens imperium suum, à subditis interfectus est. *Ingemarus Ruthenos*, *Esthomes* & *Curetes* feliciter domuit. Danos etiam è Scania ejecit: quorum tandem insidiis, ad insulam Lagundoë, in

in freto Baltico circumventus, interiit. Omnem movebat lapidem *Sivaldus*, ut Scaniam reciperet, Holstani, Gothorum regis, præsidio bene munitus. Sed astutior filius ejus *Snio*, matrimonii cum filia Holstani obtentu, amissæ provinciæ imminebat. At quorsum ista tenderent, non ignarus parens, nuptiarum spem præscidit, filiam *Biörnoni*, Sveonum Regi, in matrimonium collocando: quem mox rebus humanis exemptus, in Gothorum regno successorem habuit. Insidias nihilo secius pertexuit *Snio*, subornatis lenonibus, qui reginam pellicerent. Et illa muliebri levitate, legitimi thori posthabita fide, ad dedecoris sui procum concessit. Inde belli funesta seges, quæ utraq; regna cladibus diu concussit. Quæ insecuta sunt tempora, continua calamitatum serie, patriæ suæ funesta, alto silentio involvit Saxo: ne gentis suæ servitutem & dedecus edisserendo, posteritati proderet, ad quæ cum rubore memoriam retorqueret. Conqueritur de hoc Historicus eorum Hvitfeldius, in vita Haraldi quarti, & trecentorum ad minimum annorum defectum deplorat. Istam jacturam non paucorum adhuc accessione augent Lyscander aliique; quibus & suum calculum adjicit Meursius. Sed omissis externis, nostros annales consulamus, qui sequentes nobis reges exhibent. Post *Ravallum* præfuere *Svartanus* & *Tordo*. Deinde *Rödolphus*, qui relicto patrio principatu, ad popularem suum *Theodericum*, Gothis in Italia imperantem, concessit. Domesticis vero rebus *Hathinus*, mox *Attila Tordoq;* præfuerunt. *Algutus* innanium curiosus, dum Cervis jugalibus sylvestres Satyros consectatur, Ruteni regnum ejus piratica vexant. Qua occasione usus *Oslanus* sceptrum invasit. Sed insolentem ejus dominationem, ab Civium cervicibus, depulit *Artus*, Tyranni gula laqueo elisa. Inter

 hunc

hunc *Artum* & *Biörnonem*, Caroli Magni æqualem, octo in fastis patriæ recensentur Reges; *Haquinus*, *Caroli* duo, *Birgerus*, *Ericus*, *Torilus*, *Biorno* & *Alricus*. Atq; hi sunt reges, qui ab ultima antiquitatis memoria, rerum in Scandia nostra potientes, extiterunt, quamdiu ad gentilis Idololotriæ abominationes projecta fuit: Quorum multa, præclare facta, posteritati ideo ignorantur, quod haud pleno famæ præconio excepta, longi temporis injuria obliteravit.



EPI-

EPITOME HISTORIÆ SUIO-GOTHICÆ.

LIBER SECUNDUS.

Caput I.

HActenus gentis noſtræ primordia, res domi militiæque memorabiles, & in Diis ſuis colendis operoſam ſedulitatem, pro ingenii modulo, perſecuti ſumus: nunc lætiori auſpicio, reliquum narrationis textum ordientes, immenſam Dei bonitatem ſuppliciter veneramur, qui lacrimabile orbis Arctoi fatum miſeratus, gratioſo vultus ſui ſidere, opacam impietatis caliginem diſpulit; & ſacratiſſimis Oraculorum juſſionibus, æternæ voluntatis ſuæ imperium popularibus noſtris patefecit. Moderabatur tunc, A. Ch. 800, inter nos imperii habenas *Biörno*, cum Carolo Magno, Chriſtianam religionem apud Saxones propaganti, varias moleſtias creavit Rex Daniæ Götricus, Idololatricæ impietatis Patronus acerrimus. Cujus inſolentiæ ut frænum poneret, per legatos fœdus cum Biörnone pepigit. Horum opera Chriſtianis ſacris imbutus Rex *Biörno*, ſubditos ſuos eidem religioni initiari

ri satagebat. Itaq; missum, à *Carolo* Herbertum, doctrinæ propagatorem, summo amore complexus, O-Gothorum Pontificem constituit, exstructo Lincopiæ templo splendidissimo, quod sacrorum usui inserviret. Sed cum unius opera tanto labori non sufficeret, missis legatis, Ansgarium, monachum Corbegensem impetravit, qui *Bircam*, urbem regni tum principem, ad Christianam religionem convertit. Hac tempestate Vineta, florentissimum ad Viadrum emporium, orta discordia inter Vendos, Germanos, & Gothicæ nationis cives, deletum est: Cujus interitus tanta urbi Visbyensi, in Gothlandia, incrementa dedit, ut omnibus inde, mare Balthicum navigantibus, jura maritima præscripserit. Tantas jam in Patria radices Christiana religio egerat, ut, nisi insequentium aliquot regum scelera & parricidia intervenissent, exstirpata penitus gentilis impietas fuisset. Mortuo quippe Biornone, *Bratemundus* & *Sigvardus* Frö de principatu armis contendebant. *Bratemundus*, ut fratrem *Sigvardum* opprimeret, regis Norvegiæ Sigvardi operam impetravit. Pugnatum in Nericia contrariis fratrum auspiciis. Victorque Sigvardus Bratemundum interfecit: Inde totam belli molem in Sigvardum Norvegum, ob fratri latas suppetias, convertens, ipsum e medio sustulit, omnesque illustriores feminas impuram pati vim coëgit. Sed haud diuturna ipsi Norvegiæ fuit possessio, quam sævitia & jam exasperaverat: Avi enim cædem & materni sangvinis injurias ulturus, Regnerus Lodbrok, Daniæ rex, invasoris sangvine, defuncti manibus, lacessitæque matronarum pudicitiæ litavit. Quoque facilius Scaniam, quam ad regni sui corpus pertinere arbitrabatur, occuparet, *Thoram*, *Herothi*, qui Sigvardo & Bratemundo in regno successerat, filiam in matrimarium accepit, pluresq; ex ea filios

ge-

genuit, quæ res magnas deinceps turbas concitavit. Cum enim, Herotho mortuo, *Carolum*, qui aliis perperam *Sorlus* dicitur, sibi regem creavissent, filios suos, materni sangvinis prærogativa, Sveonibus obtrudere satagebat Regnerus **Lodbrok**. Ea contentione ad armorum certamen deducta, Carolus victoriam pariter & vitam amisit: filius Regneri *Biörno* regnum invasit: quo tamen brevi post spoliatus fuit. Illegitimum enim alieni principatus usurpatorem, publicis viribus exturbavit *Ingellus*. Qui cum publicas opes, multum ex eo imminutas esse, deprehenderet, quod in plurium regulorum, Satraparumq; (**Hårads-Konger / Skatte-Konger**) præfecturas dispersæ essent regni ditiones, sublatis Tyrannionibus istis, opes eorum sibi subdere decrevit. Hujusque consilii sui certus, duodecim eorum, convivii simulatione proditos, sustulit. Quo facto Principatum quidem suum dilatavit: voluntates vero civium non parum offendit, ut de cetero ipsum **Illråda** vocitarint. Biörno interim auxiliantibus fratribus Ivaro **Widfaren** & Vid-**serko** adpropinquabat. Quorum viribus impar Ingel-

Ingiall Illrada war Öfwer-Kong i Upsala / han wille taga af daga alla Hårads-Konger / som woro blefne sedan Rijket gick i brödra-skipte. Böd så til sitt Kongl. arfwedöhl alla Jarlar och Lyde-Kongar: När de suto i sine höga säte / stegh Ingiall upp af pallen / togh wijdh det stora horn och swor / at han halfparten mehr skulle uthwidga sitt rike eller död der öfwer: Sedan när alla woro druckne / tände han eld på salen / och brende dem inne / och giorde sig til Enewals Kong. Men Grain af Sudermanland war intet der / han giorde förbund med sin swärfader Aune **Östgötha-Konge / och sin mågh Hiortward. Ingialds dotter het Åsa Illrada / han fick Gud-**

röddh Kong af Skåne och kom ho-nom til at slå sin broder Hallan ihjäl / och förrådde sedan sin egen Man. Då kom Iswar widfaren medh mycket folck emot Ingiall; han war rådlös: Men Åsa sade / wij williom giöra det längst skall spörias och tände eldh på salen. Men Iswar widfaren drog in i Swediet / och for illa fram.

gellus, quod civium benivolentia destitueretur, svadente Asa filia, incendio se consumsit. Filius vero ejus Olaus Trätälia/ quod universa Ingelli stirps, ob patris sævitiam, ad necem quæreretur, fuga sibi consulit: Et ad flumen Gothaelf considens, excultis solitudinibus, Vermelandiæ nomen dedit. Hinc civium sibi conciliatis animis, viribusq; auctus, incubantes patriæ Biörnonem & Ivarum profligavit. Widserkum etiam, qui latrociniis suis in Russia creverat, Finlandiæ imminentem, armis submovit. (c) Mortuo Erico & Canuto Hirsuto (Lodenknut) pupillarem ætatem non egresso, regnum Daniæ occupavit & per quinquennium retinuit. Duos reliquit filios, virtute & fortuna sibi æquales. Haldanum quippe. (d) Hwijtbeen / natu majorem, Norvegiani sibi regem constituerunt: *Ingo*, paternæ magnitudinis hæres exstitit, atque ita non sine magno labore ejectis æmulis, rebusq; domi compositis, ad ultima fata principatum suum pacate continuavit. Quo magis miror Sturlesonium scripto prodidisse, Odino ipsum immolatum fuisse: cum nec in prælio ceciderit, cujusmodi Odino immolare dicebantur: neque, ut Domalder, in publico regni sacrificio per victimarios immolatus fuerit. Ingo suscepta in Rutenos expeditione ditiones eorum longe lateque vasta-

(c) Ericus Pomer. Erpold. Lindenborg. Pontanus, Meursius.
(d) Cron. Vet. Ol. Pet.

vastavit. Simultates vero cum Daniæ regibus quieverant, quia Regneri filiam in matrimonium acceperat, ex qua *Ericum* Wäderhatt successorem sibi habuit. Tantæ hic fuit in magicis artibus experientiæ, ut ad pilei motum ventorum obsequia moderaretur. *Ericus* Segersäll (victoriosus) delatum sibi regnum magna gloria cumulavit. Agnerum enim, Lodbroki filium, Britannia ejectum, fratrumque exemplo Sveoniæ inhiantem, è medio sustulit. Inde Curetes, Estones & Prussos, piratica Haraldi Blåtand irritatos, nec à maleficiis in Sveones & Gothos sibi temperantes, magna ipsorum clade perdomuit. Itaq; cum fortitudinis ejus fama late inclaresceret, arctiorem cum illo amicitiam inivit Otto primus. Displicuit autem summopere Haraldo, tantorum Principum potentiam fœdere coaluisse: Regemque, sua sponte commotum, magis incitabat Sturbiörnus, Biörnonis istius, qui Sveoniam prius vexaverat, filius. Hic, sorore sua Gyritha Haraldo conciliata, ope ejus in spem Sveoniæ, sibi subjiciendæ, erigebatur. Igitur ad sua defendenda revocato Haraldo, Ericus Sturbiörnum pugnare audentem delevit; locaque præsidiis apta, ad fretum usq; Öresund/ milite insedit. Pax interea inter imperatorem & Haraldum hac conditione sancita fuit, ut Christianæ religionis sacra amplecteretur. Rebus ita compositis, impietate Svenonis Tiuguskägg (barbæ bifurcatæ) excipitur: qui, multitudine sibi conciliata, parentem, tribus præliis victum, extinxit. Sed execrandum istud scelus haud diu impune tulit. *Ericus* quippe *Victoriosus*, memor, Haraldi se pridem armis lacessitum, exercitu in Daniam trajecto, Svenonem regno exuit. Itaque laribus exul, & extorris, Olai Tryggesonii, inde etiam Edelradi opem suppliciter imploravit, sed ab Norvego & Anglo juxta spretus, ad Scothos

profugit, ibiq; quatquordecim annos (Adam Bremens. l. 2. Cap. 20. & Meurs. Hist. Dan) in exilio vixit, ad mortem usque Erici Segersäll.

Caput II.

ERicus Stenkill (Erich Wärsäll / Erich hin milte) paterno principatu solemniter inito, ad collapsæ religionis Christianæ restaurationem animum adjecit. Adalvardus & Stephanus, quos Bremensis Archiepiscopus miserat, Upsalam, Sigtunam, & Bircam, fama veteri, populiq; frequentia inclitas urbes, obeundo, æterna Dei oracula incessantes edisserebant. Tantoq; populi applausu excepti sunt, ut pro una sacrorum celebratione, sexaginta, septuaginta alii, librarum argenti puri symbolam in medium contulerint. *Sed, ut bona causa perperam agendo perit; ita inconsulto eorum zelo, optatissima initia pessime ceciderunt.* Cum enim, rege frustra dissvadente, lucos sternere, Deosq; Upsalæ dejicere cœpissent, populus, Christianis sacris nondum penitus imbutus, in furorem actus, regem pariter & Adalvardum trucidavit. Stephanus in silva Helsingiæ, Ödmarken / interfectus, & ubi postmodum Ecclesia Norala constituta, funeratus est. Stenkilli frater *Olaus* Skott-Konung / Sigfridi, Eschilli & Davidis, ab Edelrado, Angliæ rege, missorum opera gentilem impietatem penitus delevit. Controversiarum decisionem, armorum certamine hactenus peractam, abrogavit, ferriq; candentis tactionem induxit, quod, ad firmandam doctrinam, ignitum portasset ferrum religionis præco Poppe Anglus. Runas etiam istorum svasu aboleri permisit, ut cum prisca literatura, impiæ superstitionis monumenta tollerentur, latinosq; characteres in re-

rejectorum jura adoptavit. Inter hunc & Olaum Tryggeson / regem Norvegiæ, spreti matrimonii injuria bellum conscivit. Cum enim Tryggesonius spe matrimonii Sigridæ Storrada (Sigrid hin rijka) viduæ Erici Segersäll / matris Olai Skott-Konung / Daniæ immineret, Sveno Tiufweskägg / in amissum quondam regnum jam redux, nuptias istas astu dissolvit, oblato filiæ suæ Thyræ matrimonio. Igitur Tryggesonius, jam alienatus, Sigridam per colloquii simulationem in navim suam invitatam, casus fortuiti specie, in undas præcipitavit, periissetque amplissimæ venerationis fœmina, nisi succurrissent sui. Sic voti sui compos Sveno, Sigridam, Olao propter injuriam infensissimam, uxorem duxit, negatisq; filiæ Tyræ nuptiis, gemina fraude circumvenit. Sturlæsonius tamen hæc aliter enarrat: Sigridam nempe Tryggesonio solemnibus nuptiarum facibus Kunghellæ nupsisse. Sed cum sæpius monita, majorum religionem deserere noluisset, maritum ira succensum chirothecæ verbere obstinatæ frontem perstrinxisse: fœminamq; non humilis spiritus, contumelia exacerbatam, in patriam revertisse, dirissima quæquæ marito imprecratam. Itaq; utroq; matrimonio frustratus Tryggesonius, Svenonis perfidiam armis ulcisci aggressus est: Sed, cum duorum regum vires sustinere non posset, navali prælio in freto Öresund victus, ut erat armatus, in mare se præcipitavit, ne vivus aut mortuus in hostium potestatem veniret. Hac victoria potiti, Norigiam inter se diviserunt Olaus Skott-Konung / Sveno Tiufweskägg / & Ericus Jarl. Persimilis autem hæc distributio illi fuit, qua leonem, vulpem & Asinum prædam inter se partitos aliquando, commemorat Mythologus. Dano enim & comite exclusis, totam sibi Norigiam vindicavit Olaus, Præfecto ibi constituto Svenone

Jarl, cui ſororem Holmfridam deſponderat. Interea ex Anglia reverſus Olaus Digre (craſſus) filius Haraldi Grön-ſke/ populares ad libertatem recuperandam ſtimulabat. Cui præter publicæ ſervitutis dedecus, privatæ etiam irarum cauſæ fuerunt; quod patrem Haraldum, inverecundiæ ejus irata, Sigrida Storåda hic in Sveonia incendio conſumſiſſet. Piratica igitur Sveones aggreſſus, multa circa Melerum damna dedit. Sed, cum ſervato freto Nor-reſtröm/ incumbenti Sveonum claſſe, elabi non poſſet, excavata de noctu iſthmo, Södersträm/ rates ſuas in mare deduxit. Inde Gothlandia prædis & latrociniis diu vexata, domum reverſus, totam Norigiam ad rebellionem concitavit. Quam ut ad obſequium reduceret, magnum exercitum expedivit Olaus Skott-Konung. Verum duce in itinere mortuo, totus ille apparatus fruſtra fuit. Commerciis interim ultro citroq; interdictis, non parum incommodi utrinq; acceptum eſt. Itaque Olaus Digre procerum ſuorum ſvaſu, per legatos filiam Olaï Skott-Konung Ingridam ambiebat: ut affinitatis vinculo odia hactenus exercita quieſcerent. (e) Et quamvis generum ſuperbe aſpernaretur, minis tamen Ravalli Jarl & Torgni judicis, legatorum petitioni annuere coactus eſt. Cum maturum erat, ut promiſſa implerentur, aſſenſum retractavit. Res tamen ſapientum interventu, atque Aſtridis, ignobilioris filiæ, utpote matre Vendica natæ, matrimonio compoſitæ fuerunt. Pacem etiam & amicitiam inter Canutum Divitem & Olaum Craſſum conciliavit: quod materno ſangvine Frater Canutus, alter gener ſuus eſſet. Mortuo vero Olao Skott-Konung/ amicitiæ iſtius arbitrio, Canutus Norrigiæ inhians, domeſticis tumultibus Olaum impli-

(e) Snor. Sturl.

plicuit. Quibus difficultatibus pressus ad Amundum Annosum, quem alii Carbonarium vocant, quod maleficorum ædes comburere soleret, confugit, qui Parenti suo in regno successerat. Hic periclitantem amicum ope juvandum ratus, belli in Canutum gerendi se participem fecit. Confugerat etiam ad Amundum Ulfo Sprakelägg/ Sveo natalibus, sed qui, dolose impetratis nuptiis Estritæ sororis Canuti, affinis iram metuebat. Bellum decretum tripartito geri è re visum. Terrestrem exercitum in Scandia ductabat Amundus: navalibus copiis Selandiam infestabat Olaus: nec spernendæ classis ductor Ulfo Blekingiæ littora legebat. Sed Olai quidem naves, superveniente Canuti classe, cui Haquinus præerat, dissipatæ fuerunt. In Scania vero ad Stånga pålle pontem inter Amundum & Canutum pari clade certatum est. (f) Ulfo, quos sibi hostes sors commiserat, stratagemate delevit. In Norvegiam fugiens Olaus, iterata civium rebellione exipitur: itaq; rebus suis desperans, ad Jarislaum adfinem, Rutenorum Principem concessit. Canutus filium Svenonem Norvegis, haud invitis, regem imponit. Sed severitate ejus offensi; Olaum ab exilio revocant; domestico mox bello per quosdam, Canuti pecunia corruptos, interficiendum. Mirari hic licet frontem Stephanii & Pontani, qui nulla monumentorum fide, contra omnem veritatem, Canutum etiam Sveoniæ regem fuisse adserere non verentur: tantum quia versus quidam vulgares quinq; eum regna tenuisse adfirment: quæ coætaneus Canuti Encomiastes egregie hoc ordine enumerat: Dania, Anglia, Britannia, Scotia & Norvegia. Sex vero præpollentium regnorum

 pos-

(f) Emundum in Scania cæsum, sed pari clade victoriam Canuto stetisse, Meursius scribit.

possessorem Saxo facit: nec, quæ fuerint, addit: Sveoniæ interim regem nusquam appellat. Angliam, Norigiam & Daniam imperio suo complexum fuisse, annalium monumenta non diffitentur. Cum vivere desiisset Amundus Carbonarius, delatum est regnum ad filium ejus Amundum Slemma (vilem) impari matrimonio susceptum. Hunc veteris historiæ Danicæ fragmentum, de terminis inter Gothiam & Scaniam ponendis, Dano assensisse memorat. Cujus assertionis fides ut suspectissima, ita illud neutiquam dubium, Danos Scaniæ semper inhiavisse, istamque cupiditatem bellis sæpe occasionem dedisse: prout eadem de causa, inter Amundum hunc vilem & Canutum, in Scania ad Stangapelle pugnatum est: ex qua pugna inferior Amundus discesserit. Meminit hic Cronicon nostrum vetustum, ut & leges Vestro-Gothorum, trium regnorum reges in insula Danaholm convenisse: Regique Upsalensi equum conscendenti frænum tenuisse Danum, Norvegum stapedes. (*g*) Contrario plane sensu ante centum triginta circiter annos, typis ista evulgavit Gothofridus Gemmon, regique suo hanc honoris prærogativam adrogavit. Unde tragice in Messenium debacchatur Vormius, quod, quæ jam orbi propalasset typographus Gothofridus, tam nequiter pervertere ausus fuerit. Equidem si monumentorum autoritate standum, Gothofrido non cesserint leges nostræ; &

(*g*) In contiguis Hallandiæ Sveoniæ & Norvegiæ finibus insula mediocris est, parvam Daniam dixere, proprie tamen Hisingia appellatur, limites regnorum borealium moderni: Et ibi quievisse tres Reges, & convivatos esse, tempore decreti Senothoniani super ingenti saxo, quolibet tn. in regno suo existente, libelli decretorii narratione notum est. Lyscander in descript. Hallandiæ.

& non improbæ notæ Cronicon, vetustissimæ utraq; antiquitatis; Messeniusq; ab omni calumnia vacuus, qui, quæ in publicis monumentis reperit, cum fide descripsit. Vormio interim, an leges istæ uspiam gentium extiterint, non tam religiose quam perfide dubitanti, scrupulum adimere potuerunt, quæ literatorum teruntur manibus, vel, si tanti interesset, quæ in regni Archivis adservantur exemplaria. Ceterum, ut sine ambitione, quod sentio, scribam, vix mihi persvadeo, tantam istorum temporum fuisse simplicitatem, ut rerum potientes ad ista demissionis officia descenderint: sed mutuam regum benivolentiam & humanitatem, ambitiosis utrinq; civium præconiis exceptam, talem sui famam ad posteros propagavisse.

Caput III.

A Mundo è vivis excedente, Gothi Haquinum Röde (rufum) Sveones Stenkillum ad regiam dignitatem extulerunt: prorupissetq; vetus discordiæ malum, nisi Stenkillus juvenis, Haquino, provectæ ætatis viro, cessisset, quod ejus fata utrumq; sibi regnum maturavissent. Danos in Scaniam irrumpentes sæpius profligavit. Successit ipsi Ingo, vir summæ integritatis, & ob bellum adversus Jarislaum, Rutenorum principem, feliciter confectum, magnæ apud suos existimationis. Bellum etiam gessit cum Magno Olai filio, Norvegiæ rege, de regni limitibus ad lacum Vener. E Scania etiam Svenonem Estritium ejecit; ubi tamen brevi post Danorum insidiis interiit. Sed vindicavit fratris fatum soliumque Halstanus. Philippus insigni modestia principatum administravit. In Ingone, per venenum sublato, continuata regum, ejusdemque sangvinis series interrupta est. Ex uxore Ragnila,

quæ

quæ in Divorum numerum postea relata est, Christinam, S. Erici uxorem & Margaretam, Nicolai Danorum regis conjugem procreavit. Certantibus hinc votis, Ragvaldus Knaphöfde à Sveonibus, Magnus vero, Ingonis ex Margaretha nepos, à Gothis in regium solum evehuntur. Hic Canuto consagvineo suo interfecto, cum Daniam multis difficultatibus implicuisset, ab Erico Canuti fratre é medio sublatus est. Ragvaldi etiam violenta fuere fata. A Westro-Gothis enim prope Scaras trucidatus est: quod non requisita fide publica provinciam eorum intrasset. Ita enim civium libertati providerant leges, inde a primis temporibus, ut regi post solemnem inaugurationem, singulas regni provincias, jurisdictione & limitibus discretas, obire volenti, provinciæ legati ad limites occurrant, regem honorifice excepturi; privilegiisque & immunitatibus ab eo confirmatis, ad collimitaneæ provinciæ territorium deducturi: pari inde obsequio & reverentia excipiendum. Anno 1140. consilio Lincopensi interfuit Cardinalis Nicolaus Albanensis Anglus, qui postea pontifex creatus, Adriani quarti nomen sibi induit: Henricumque Episcopum Upsalæ constituit. Magno adhuc vivente Gothiæ primum, mox etiam Sveoniæ Rex creatus est Svercherus, qui Ulfhildam Noricam, Nicolao Daniæ Regi desponsatam, nuptiis sibi copulavit, & ex ea Carolum regni successorem reliquit. Alter vero filius ejus Johannes, ut aliquo facinore se strenuum demonstraret, conjugem sororemque viduam Caroli Hallandiæ præfecti, ad libidinis consortium raptas, in Sveoniam duxit. Quibus ad stupri vices evocatis, cum libidinis æstum satiasset, parente populoque flagitium execrante, utramque remisit. (*b*) Qua rei indignitate motus Sveno Gratenhed bel-

(*b*) 1154. Pont.

bellum in Svercherum parat. Nec minus acerbati Sveones, unius libidinem publicæ calamitatis caufam futuram, Johannem, in bellum ftipendia exigentem, interficiunt. Pater, filii nece periculi fui admonitus, in tutiora fe recepit. Sveno interim, in Finvediam & Verendiam excurfione facta, multa damna, ad defenfionem non fatis paratis, intulit. Sed, cum in prædam raperentur omnia, aut incendiis vaftarentur, agreftium multitudo, quæ facultatum fuarum ruinam cum dolore adfpiciebat, interceptis itineribus, factaq; arborum concæde, totum Svenonis exercitum internecione delevit. Atque ita parva rufticorum manu, in patriæ prædones vindicatum fuit. Ipfe Svercherus poftea, cum ad facra audienda properaret, ab fervo fuo ftabulario, Magni Scatleri, regno inhiantis, pecunia corrupto (Meffen. Tom. 2.) interfectus eft. Itaque Gothi filium ejus Carolum in parentis locum furrogarunt: Sveones vero Ericum Jadvarfon, Regis quondam Ingonis generum, regnare jufferunt: Virtutem ejus magis quam natales refpicientes. (*i*) Ruftici enim cujusdam divitis & honorati filius in Uplandia fuit: fed virtute & meritis fummorum fortunam æquabat. Ad regnum evectus, juris patrocinium præcipuam muneris fui partem effe exiftimavit. Itaque leges veteres emendavit auxitq;, quæ propterea Leges S. Erici etiamnum dicuntur. Ad juris facerdotium, pietatis & religionis curam adjecit. Itaque Templum S. Trinitatis, ab Stenkillo & Olao Skott-Konung inchoatum, fed per temporum negligentiam in ruderibus fuis fepultum, confumavit, dedicavitque. Finlan-

H

****

(*i*) Pro unione Gothici & Sveonici regni decreviffe ordines, ait Meffenius, ut ex Svercheri & Erici progenie alterni reges caperentur, Tom. 2.

landos etiam, qui nondum cervices Christo submiserant, ad Christianam religionem convertit. Tantis tamen meritis indignam mercedem reportavit. Henricus quippe Scatler, quem ex Ingride, Ravaldi Knaphöfde filia genuerat Sveno Danus, domestica inopia ad aliena invadenda stimulatus, cum filio suo Magno, ex perditis quibusdam Sveonibus inita sceleris societate, Ericum, sacris Upsalæ vacantem, nefarie trucidavit. Ad tristem optimi Regis sui interitum vindicandum accurrentes Helsingi Uplandique, parricidas prope Upsalam justo supplicio adfecerunt, spoliisque ipsorum templum Danmark ædificarunt. Regis vero viventis innocentia, & civium in defunctum pietas, ipsum in Divorum numerum retulit. Igitur Sveones, Rege suo Erico orbati, Carolum Svercheri filium, Gothorum regem, ipsi sufficiunt. Qui summum Ecclesiasticæ dignitatis culmen ad regni majestatem pertinere arbitratus, privilegium ab Alexandro tertio Romano Pontifice pro summo sacrorum Antistite, Upsalæ constituendo, impetravit. Creatusque est Stephanus primus Archiepiscopus Upsalensis; cum Antecessores ipsius, Episcopi solum nomine insigniti fuissent. Idem Alexander Papa, per Petrum Arosiensem Episcopum, ordinarium, cum suis successoribus, sedis Romanæ nuncium, commissarium, reditumque Cameræ Apostolicæ collectorem, regi potestatem fecit transferendi Templi Cathedralis. Qui propterea in loco fani Idololatrici, novi Templi fundamenta marmorea jecit, quod post ducentesimum demum annum consumatum fuit. Messen. Tom. 2. Ab exilio interim Norvegico reversus Canutus, Divi Erici filius, Carolum tanquam necis paternæ conscium, & Danica insuper adfinitate (gener Valdemari primi fuit) suspectum, in insula Visingia oppressit. Burislaum etiam & Colum, Caroli

ex

ex fratre Johanne nepotes, quia avito imperio imminere posse videbantur, sustulit. (*k*) Hoc tempore Esthones, piratica excursione in Melerum irrumpentes, Sigtunam incendio deleverunt, Archiepiscopumque Johannem in arce sua Almersteck trucidarunt. Patris ultione non plene sibi defunctus videbatur Canutus, nisi Danico etiam sangvine manibus ejus parentasset. Haraldum quendam regiis in Sveonia natalibus ortum, cetera ignavum, imperitumque, Scanis novarum rerum cupidis regem dedit. Qui non leve Canuto, ut Saxo tradit, negotium exhibuit. Ad ultimum tamen prœlio victus, cum Achone, secretorum suorum arbitro, in Sveoniam refugit. Svercherus Hack Caroli filius, regalem purpuram indutus (*l*) defuncti Canuti stirpem omnem morte & exilio mulctavit: eaque sævitia civium in se arma concitavit: frustra adserente Valdemaro secundo, Daniæ rege, cujus exercitus octodecim millium militum, quem ductabant Ebbe & Laurentius, Svenonis filii, in Westro-Gothia ad Lehna, occidione deletus est, ut ne cladis quidem nuncius superesset. (*m*) Elapso biennio, cives ad obsequium iterum reducere tentabat Svercherus, sed pari fortuna usus, ad Gestilsbrdo (Gestilreen Eric. Ups.) cum principe Folcone, aliisque magnæ autoritatis viris, occubuit. Ab exilio ad imperium veniens Ericus, Canuti filius, omnibus fratrum consangvineorumque interfectoribus ignovit: clementia potius quam severitate principatum suum firmaturus. Octavo is imperii anno decessit, regni successione ad Johannem Mitem, Svercheri filium, devoluta. Puer hic admodum fuit: & quatuor, quibus vixit, annis, auspicio ejus tutores regnum administrabant. Per idem tempus Esthones, Ca-

 relii

(*k*) 1185. (*l*) 1192. (*m*) 1208.

relii & ceteri Codani accolæ in Gothiam effusi, magnam prædam egere; Lincopensem præsulem, Ducesq; Carolum & Johannem ex bello Moschovitico, novem annos gesto, recens reversos trucidantes. Sed cladi elapsa uxor hujus, virilis audaciæ fœmina, tumultuario collecto milite, prædatores internecione delevit. 1219. Laur. Ner.

Caput IV.

ALternatis fatorum vicibus, Svercheri & Divi Erici familiæ imperabant parebantque. Ita decedentis Johannis honorem in se transfulit Ericus Blæsus. Qui, quantumvis lingvæ vitio & claudicatione impediretur, animi tamen virtutibus corporis defectum implevit. Præcipua & fida opera utebatur Birgeri Jarl de Bielbo, Ducis O-Gothiæ: cui propter virtutes & morum commendationem sororem suam in matrimonium dedit. Par etiam virtutis splendor in ceteris adfinibus fuit, si modestiam excipias. Canutus enim Folchungus, ducta regis sorore Helena, matrimonii istius fiducia, familiæq; suæ opibus, quas prudentia & Eloquentia æquabat, atq; etiam ambitiosis consangvineorum clientumq; votis, ad spem regni incitabatur. Huic consilia & operas sociabant filii Nicolai de Tofta, regis ex Mereta sorore nepotes, tum Hollingerus aliique magnæ nobilitatis viri: qui regem claudum, balbutientemque despicatui habentes, ad præconceptæ potentiæ culmen conscendere nitebantur. Nec defuere ipsis vires, quibus destinata perficerent. Fortuna etiam consilia promovit. Regem autem, ad sui defensionem excitatum, ad Alaström prælio fuderunt, Canutumq; regem salutaverunt. Sed reparatis viribus apud O-Gothos impetratisque auxiliis ab avunculo Valdemaro secundo

rebel-

rebelles ad Sparſätra in Uplandia prælio vicit. Canutus & non pauci alii in pugna ceciderunt. Hollingerus cum nonnullis captus, auſa capite luit. Anno 1240. in Sveoniam venit legatus Pontificis Gregorii Noni, Gvilielmus Cardinalis Sabinenſis, qui præter alia in mandatis habuit, ſacerdotibus conjugia interdicere. Huc usque enim legitima celebraverunt matrimonia, ut ex vetuſtis legibus Uplandicis atque O-Gothicis liquet. Acerrime huic mandato reſtiterunt ſacerdotes, qui, quod divino & gentium jure facere poſſent, pontificis tyrannide ſibi eripi indignabantur. Placida tamen Regis Birgerique interceſſione mitigati, jure ſuo ceſſerunt. (n) Miratur hic Hvitfeldus, quod tamdiu libertatem ſuam in hoc retinuerint Sveones, cum ante 120. annos Dania Pontificiæ ſervitutis jugum receperit. Sed manifeſtum eſt Sveones, Pontificis tyrannidi ſe ſubjicere nunquam voluiſſe. Itaque Epiſcopos ſibi & ſacerdotes, quos volebant, pro lubitu conſtituerunt: eorumque jura & autoritatem pro arbitrio circumſcripſerunt. (o) Conqueritur de hoc Alexander tertius Anno 1160; Innocentius tertius Anno 1210: & Innocentius quartus 1250. Progreſſu tamen temporis, qui doctrinæ ſuperſtitionem receperant, Eccleſiaſticum quoque imperium agnoſcere coacti ſunt: quamvis plures reges id contempſerint. Parentum noſtrorum memoria, cum Rex Johannes ad Romana ſacra deficeret, ſedulo tamen cavit, ne Eccleſiaſticæ jurisdictionis autoritas Pontifici concederetur. Repreſſis Folkungis, omnia domi pacata erant. Itaque Tavaſtii, Finnorum populus, ab Chriſtianæ religionis obſequio abhorrentes, armis perdomandi occurrebant. Decretum id bellum Birgero Järl, qui devictos barbaros Chri-

(n) Hvitfeld, Cron. part. 1. p. 189. (o) Adam Bremen.

ſto nomina dare coëgit: eisque in obſequio retinendis arcem Tavaſteburg impoſuit. Birgerö in hac expeditione occupato, rex moritur: & Valdemarus puer admodum, ſed paternorum meritorum intuitu civibus acceptus, Rex eligitur. Reverſus Birgerus, & adverſus filii honorem obliquus, proceres increpavit, quod Regem creaſſent, qui per ætatem ſeipſum regere non poſſet. Tum fratus Ivarus Blâ, *Ego, inquit, filium tuum Regem feci, Patris ſenis merita filii honoribus remuneraturus. Si factum diſplicet, tibi filioque proſpice. Inveniemus alium, qui tanta fortuna dignus ſit. Et ſi non aliunde, ex hac tunica mea latitantem excutiemus Regem.* Birgerus ſibi filioq; timens, ampliſſimas egit gratias, decretaque adprobavit. Atque ita conquievit diſcordia & odium inter Svercheri & Erici familias. Valdemarus quippe paternam ſtirpem ad Svercherum, maternum vero ſangvinem ad Ericum referebat. Sveones etiam & Gothi, quos electionis prærogativa ſæpe transverſos egerat, poſito disſenſionis ſtudio, in unum amicitiæ & imperii corpus fideliter coaluerunt. Birgerus filii nomine regnum adminiſtrans, multa in Patriæ commodum ſalubriter inſtituit. O-Gothorum leges diſperſas hactenus, in unum corpus collegit publicavitq;. Leges etiam de pace domeſtica tulit, quæ alienæ domus invaſorem exilio mulctabant. Sorores præterea, quæ ab paterna hæreditate adeunda penitus excludebantur, in favorem ſexus in tertiam bonorum partem admiſit: reliquas duas fratribus ſervavit, qui prius aſſem capiebant. Geſtationem ferri candentis, tanquam periculoſam & in Deum contumelioſam, abrogavit. Holmiam, totius jam regni caput, in Mæleri clauſtris condit, ad irruptiones ſubitas reprimendas. Folkungi interim, altorum ſpirituum retinentes, rebus novis ſtudebant. Quorum

rum

rum contumacia cum non nisi armis frangi posset, ad manus utrinq; ventum. Priusquam tamen classicum caneretur, reconciliationem ipsis obtulit Birgerus, ab civili sangvine se abhorrere professus. Illi sive ingenio ejus diffisi, sive meritorum suorum conscii, suspectam amicitiam ejus habuerunt. Postquam vero Episcopus Lincopensis Colo fidem suam interposuisset, in Birgeri castra concesserunt; qui mox correptos, securi percuti fecit. Utili quidem severitate, sed parum honesta, quod datam hostibus fidem fregisset. Tanti tamen putavit eminentium papaverum capita decutere, ne in publicam perniciem crescerent. Colo fide sua deceptos graviter ferens, abdicato munere suo, peregrinationem ad sepulchrum sanctum suscepit, & in itinere ex dolore decessit. Carolus vero factiosorum caput, evitata Birgeri fraude, in Prussiam exulatum ivit: in bello postmodum, quod Crucigeri in Lithuanos moverunt, interemtus. (*p*) A Birgeri excessu Valdemarus jam non dissimulanter malus, cuncta pro libidine agebat. Jutam, Sophiæ reginæ sororem, uxori pellicem superinduxit, prole in turpitudinis argumentum sublata. Cujus flagitii expiandi causa, peregrinationem Hierosolymam instituisse Pontanus & Messenius memorant. Fratres Magnum, Benedictum & Ericum uxoris instinctu, vatiniano prosecutus odio, ad arma provocavit. Præcipua vero indignationis materia fuit, quod fratris Magni, Sudermanniæ Ducis, aula regiam splendore pene superaret. Optimus enim quisque & fortissimus, in Principis liberalis gratiam se inserere studuit. Atque ut sunt fœminæ impotentes magis; ita regina nunquam sine verborum contumeliis & ludibrio Magnum nomi-

(*p*) 1266.

minare potuit; maciem ejus, & fuscum faciei colorem cavillata. Itaque cum ad arma spectarent odia, Proceres, conventu Stregnesii habito, exulceratos animos ad concordiam reducere laborabant. Benedictus Lincopensis Episcopus, Principatum Finlandiæ fratri regi restituere se paratumesse ostendit, si mature caritatis fidem facere vellet: sed cum frustra omnia susciperentur, *Magnus Ladelâs*, Hallandia & Scania, sex millium librarum argenti puri nomine, Erico Klipping Daniæ regi, oppignoratis, exercitum conflavit. Valdemarumq; in W-Gothia cæsum captivavit. Ne tamen pristinum fortunæ splendorem adimeret, Regnum Gothiæ ipsi reliquit. Sveoniæ vero regnum solemniter Upsalæ iniit, publicas ceremonias peragente Archiepiscpo Folchone. (*q*) Exautoratus miles Danicus, nec pro spe sua donativis excultus, in reditu cives plurimis damnis adfecit, odiique materiam inter Reges seminavit. Damni enim hujus æstimatione facta, Scaniam & Hallandiam, absque argenti, mutuo sumti, solutione sibi reddi postulavit Magnus. Quod cum facere nollet Ericus, Scaniam armis pervasit. Itaque Ericus, Valdemaro ad partes pertracto, facta spe restitutionis totius Regni, W-Gothiam & Verendiam ferro & flamma vastavit. Quam cladem miseratus Magnus, misso cum copiis Ulfone Carlsson/ prædatores in turpem fugam vertit, pluribus captis. Valdemarus vero brevi post, Danorum copiis stipatus, W-Gothiam & Verendiam adflixit, Magno non contraeunte, quod diceret, fratrem provincias suas etiam sine auxilio exterorum, vastare posse. Omnes tamen simultates, icto fœdere inter Magnum & Ericum, quievere. Valdemarus etiam, paterna hæreditate contentus, totum regnum fratri cessit: (*r*) datis literis & publica renunciatione ad lapidem Morasteen.

Ca-

(*q*) 1277. (*r*) 1279.

Caput V.

MOris habuit Magnus, ad Reipublicæ munera homines industrios, tametsi modicæ sortis, provehere. Itaq; Folkungi, antiqua sua nobilitate tumidi, quamvis literas & ceteras bonas artes contemnerent, inique tamen ferebant, meritos industriæ præmia capere. Quorum querelas ad Regem deferente Archi-Episcopo Jacobo, & Benedicto Regis fratre; *Regni sui salutem ministrorum suorum prudentia & virtute niti*, respondit: *quibus præmia sua denegare, extremæ foret iniquitatis. Homines autem ignavos iis præferre, quorum virtus & merita in oculis sunt, ejus esse, qui ipse virtuti nuncium remittere velit; studerent eorum æquare aut superare industriam, quorum fortunæ inviderent: Se virtutis præmia æqua manu divisurum.* Hac exprobratione excitati, plures eorum ad literas animum adplicuerunt. In illis Brynulfus, decem annos Parisiis sacris literis invigilans, Scarensem Episcopatum laboris præmium habuit. Hinc adparet, omnem quidem virtutem apud Regem in pretio fuisse; extraneis vero ad vitium usq; favebat. Petro cuidam Porse Dano, arcis præfecturam tribuit, qui convivii specie invitatum illuc, Regem in custodia detinuit, quousque Danis stipendia solverentur; juramento insuper adstrictum, injuriam istam inultam futuram. Huic, quod mirere, Ludosiensem| insuper arcem concessit, in majoris fidei & amicitiæ pignus. Ingemarus Danus, regiæ neptis Helenæ, ex Christina sorore, nuptiis insolens, indigenas nobiles contumeliis adficere nil pensi habuit. Itaq; Folkungi (f) omnium nomine regem

(f) Johan Philipsson/ Amund Sture/ Johan Carlßon / Philip Rumbis.

orant, ne pateretur, bene meritos Cives, exterorum contumeliis & ludibriis vexari. Et querentibus cum satis non fieret, indignatione in vindictæ cupiditatem erumpente, Ingemarum, qui reginam Hillevigem, parentem suum Gerhardum, Holsatiæ comitem, excepturam, comitatus fuerat, Scaris trucidaverunt: Comite in captivitatem abducto: Regina vero ad Monasterium confugiente. Quod facinus cum supra veniam esse facile intelligerent, Valdemaro in societatem adscito, cœpta armis persequebantur. Rex, quia viribus tam potentem factionem opprimere arduum erat, ostensa spe veniæ, rebelles exarmavit: (*t*) blandissimisq; compellatos literis, in potestatem suam redegit: sumtoq; de præcipuis supplicio, Folchungorum pennas ita incidit, ut nunquam deinde succrescerent. (*u*) Valdamarus, ob turpem & flagitiosam vitam, concilio Benedicti Fratris & procerum regni, una cum filio suo Erico, in carcerem perpetuum mancipatur, ne homo perniciosus novis patriam periculis involveret. Ea occasione, Sveciæ & Gothiæ regis titulum usurpare cœpit, ab antecessoribus regibus, jam inde à tempore Olai Skott=Konung/ intermissum. Messen. Tom. 2. Ita pace domi forisque constituta, Reipublicæ ordinandæ curam suscepit. Et quia ita imminutum erat regni patrimonium, ut defensioni adversus hostes, sumtibusq; in aulam faciendis non suppeteret: decreto Comitiorum, agri omnes per totum regnum pretio æstimati; & pro cujusq; mensuræ & fertilitatis modo, certi Reipubl. reditus deputati fuerunt. Omnes præterea fodinæ Metallicæ, piscationes uberiores in Bothnia, Finlandia, in mari fluminibusq;, in lacu Hielmar & Vener, atq; Bråwijken cum suis fluminibus, regi

(*t*) 1280. (*u*) 1282.

regi Vectigales factæ. Consveverant huc usque rustici, quemlibet iter facientem, gratuito hospitio & commeatu excipere: Sed, quia hospitum multorum improbitate, damnosa colonis fiebat liberalitas, lege vetuit Magnus, quicquam colono ingratis eripi, quin pretio omnia redimi, quæ sponte non exhiberentur. Unde & Ladulâs nominatus est, quod, seræ instar, rusticorum ædes tutas præstaret. Et quia fœdera cum vicinis regibus, ad regni securitatem pertinere arbitrabatur, filio suo *Birgero*, successori sibi destinato, Mærtam Erici Klipping, Danorum Regis, filiam despondit: suam vero filiam Ingeburgam, filio ejus Erico Menved conjugem addixit; ut mutua istac adfinitate, regnorum concordia stabiliretur. In Monasteriis condendis, ditandisq; non alius ipso profusior. Virginibus religiosis, quæ ad S. Claræ institutum viverent, claustrum in suburbio Holmensi Boreali condidit, eisq; filiam suam Richizam præposuit. Tandem fato suo vicinus, quid se mortuo fieri vellet, senatui exposuit: filioq; Birgero, adhuc pupillo, Torgillum Knutson, regni Drotzetum, tutorem dedit. Qui mox, recepta in humeros imperii mole, bellum in Careles movit: victosq; Christianam religionem amplecti coëgit. Arces etiam Viburgum & Nyslott/ adversus irruptiones Rutenorum, ædificavit, victorq; in Patriam revertit. Moscus interim repressus magis, quam domitus, ægre admodum ferebat, structa nuper claustra cervicibus suis imminere. Itaque 30. duorum millium exercitu cinctus, ad ista demolienda properavit. Torgilli tamen industria & sedulitate, omnis iste apparatus frustra fuit. Licet postea præsidiariorum militum defectu, qui, frumento corrupto utentes, moriebantur, in hostium manus pervenit Nyslott. Soli viginti, qui supervixerant, in infinitam hostium multitudinem

irruentes, *Leonidæ* virtutem exitumque æquarunt. Anno 1291. cursum suum, per aliquot dies, intermisit rapidissimum flumen Motala / quod prodigium magnas calamitates portendere, nostra & patrum memoria compertum est. Birgerus virilem ingressus ætatem, soboleque mascula per legitimum thorum auctus, regno solemniter Sudercopiæ inauguratur. In qua festivitate, frater ejus Valdemarus matrimonium inivit cum Torgilli filia: quod tamen irritum postea reddidit Archi-Episcopus Nicolaus; non tam spiritualis cognationis, quæ nulla erat, intuitu, quam odio in Torgillum. In publicis inde comitiis, patruorum procerumque consensu, regni successor declaratus est *Magnus*, Birgeri filius. Beneque publicæ quieti consultum erat, nisi fraternarum dissentionum furiæ hanc felicitatem evertissent. Rex quippe Ericum atque Valdemarum, postquam regni partem, patris testamento sibi legatam, ægre admodum obtinuissent, uxoris suæ criminationibus inductus, proscripsit. Illi bonis suis ejecti, ad affinem suum Menwed in Daniam tendunt. Sed, quia gemino adfinitatis vinculo Birgero adhærebat, intutam fidem ejus reputantes, apud Haquinum, Norvegiæ regem, refugium querebant. Extorres ille summa benevolentia excepit, arcem & oppidum Kunghellam ipsis concedens; Varbergam etiam ab Comite Jacobo redemit, eamq; principi Erico dedit, spe matrimonii inter ipsum & filiam suam ineundi. Principibus igitur, ex vicina Norvegia Vermelandiam atque W-Gothiam, continuis excursionibus, misere vastantibus, coactus est Birgerus reconciliationem offerre ademtasque ditiones restituere. Reconconciliata in hunc modum fratrum gratia, Torgillus, tanquam malorum omnium concitator, Holmiæ supplicio adficitur, optimo quoque viri fatum miserante. Principum tamen &

Epi-

Episcoporum laborabat odio, quod regiæ utilitatis nomine, suum quæsisset commodum: crederetur que ejus consilio Rex Ecclesiastica bona, tributorum onere gravasse. Eamque ob causam, sepulturæ honore, intercedente Archi-Episcopo, diu caruit. Rex, ut justitiæ se curam agere ostenderet, jurisperitis injunxit, jus omne vetus evolvere, inutilia resecare, &, quæ desiderarentur, addere. Horum labore emendatas juris constitutiones, autoritate sua publicavit. Usurpatas hactenus, servorum venditiones sustulit. Instar pecorum enim certo pretio vendebantur, bello capti, robustumque mancipium argenti puri libra æstimabatur. Injuriosum hoc naturæ & humanitati dominium aversatus, homines in commercio esse vetuit.

Caput VI.

PRincipes interim, cognitis fratris insidiis, cogitatum scelus antevertentes, regem cum uxore & duobus filiis, in aula Hatunensi captivatum, carceri Nycopiano includunt: primogenitus tamen ejus Magnus elapsus, servi sui humeris, ad avunculum in Daniam portatus fuit. In has angustias conjectus, totum fratri Erico regnum cessit, cui partem antea cedere non voluerat. Rege in potestatem suam redacto, regnum etiam sibi subjiciebant Principes. Inde in Ericum Menved, qui affini liberando arma parabat, converso impetu, Scaniam diripuerunt, pluribus, non infimæ sortis, hominibus in captivitatem abductis. Insequenti anno, sexaginta millium exercitu, è Germanis Danisque conscripto, Nycopiam obsedit; sed conatu irrito. Commeatu enim deficiente, exercituque per intestinas seditiones dilapso, cum principibus pacisci conatus est. Hinc in comitiis Örebrogensibus, de Regis liberatione inter proceres actum: illis adnitentibus, res

eo deducta est, ut injuriarum promissa oblivione, tertiam regni partem obtineret. Ita in libertatem restitutus, contra jusjurandum in Daniam aufugit; exercitumque, prioribus copiis non inferiorem, conflavit, hujus opera in pristinum se potentiæ gradum restituturum sperans. Tam laboriosa expeditione nihil aliud effectum fuit, nisi ut, datis acceptisque damnis nonnullis, prioribus se pactis de novo obstringeret. Quam in rem fidem suam obligarunt, *Ericus* Danus cum fratre *Christophoro*, Princeps Mechelburgensis *Henricus* & *Gerhardus* Comes Holsatiæ. Ob auxilia, sibi adersus fratres præstita, Smalandiam, cum insula Visingia, datis codicillis, Erico Menved consignavisse Birgerum, scriptores Dani memorant; Pontanus & Meursius: quod nunc non disputo. Inter hæc princeps Ericus, cum desponsatam sibi pridem Ingeburgam, Haquini Norvegi filiam, non obtineret; *Magno* quippe, Birgeri filio, ipsam interea conciliaverat Danus; nec reposcenti Haquino Kunghellam & Varbergam reddere vellet, ad arma utrinque ventum est, coactusque Norvegus fuit, ingratiis nuptias ratas habere: *Erico* insuper Norvegiæ hærede declarato, si absque prole mascula decederet. Rebus ita ex votis compositis, iter per Galliam & Germaniam suscepit; splendidissime ab Clemente 4:to, qui Avennione morabatur, exceptus. Inde in patriam redux, nuptias Ludosiæ celebravit. Frater etiam Valdemarus, accepta Haquini nepte Ingeburg, convivii festivitatem geminavit. Ductis uxoribus, qui hucusque convixerant, in suas quisque ditiones discessere, ut privatis inde commodis invigilarent. Birgerus etiam regni curis intentus, omnia pro bono rege egit: Gothlandos, ob exactionum gravitatem tumultuantes, composuit. Finnos etiam, eadem causa rebellantes, ad obsequium redegit; oppresso

Bug-

Buggone, quem ſibi regem creaverant. Et licet magna annonæ caritate, quam civiles diſſentiones properarant, adfligeretur Patria; reſanata tamen videbatur publicæ calamitatis cicatrix, ſublatis fratrum diſcordiis. Sed proluſiones hæ tantum fuere ſequentium, quas ſub indigenis primum, inde etiam ſub extraneis, temere ad imperium vocatis, exhaurire debebat patria. Rex enim captivitatis ſuæ injuriam, intimis viſceribus impreſſam, ſumendæ cum tempore ultionis ſolatio mitigabat. Sinceriſſimi interim amoris fuco, ad fictam benevolentiam incautis fratribus impoſuit. Hac fiducia proditos Nycopiam allexit: diſperſoq; eorum per oppidum ſatellitio, ſplendido ipſos convivio in arce excepit: cum mero obrutos, ſeparata cubicula ad ſomnum recepiſſent, intrantes ſtipatores Regii, raptum utrumque in tetrum carcerem detruſerunt. Rex exprobrata ipſis memoria luſus Hâtunenſis, claves in profundum conjecit, juramento addito, vivos inde non egreſſuros. Ericum, vulneribus prope confectum, tertius dies exſtinxit: Valdemarus, cum lacereto fratris brachio, ſevam ventris rabiem toleraſſet, in undecimam lucem vitam protraxit. Ita de principibus ſecurus Birgerus, Holmiam properavit: Sed divulgata ſceleris fama, ab Valdemari præſidio repulſus eſt. Principum etiam clientes, contractis copiis, Nycopiam obſidebant. Quibus impar Birgerus Stegeburgum fugit. Quo cum è Dania occurriſſet filius Magnus, cum ſexcentis equitibus, pugnam auſi cæduntur. Poſt, edita ſtrage in diſperſos ruricolas W-Gothiæ, in O-Gothiam reverterunt. Sed & hic iterum infeliciter pugnant. Rex cum uxore in Gotlandiam fugit: Filius vero Magnus, Stecheburgi obſesſus, bis intercepto patris auxilio, in captivitatem abductus eſt; & poſt biennium, veluti piacularis victima, pa-

rentis

rentis delicta Holmiæ capitis supplicio expiavit. Brunco, Valmarus, Svalebeccus aliiq; nonnulli scelerum minstri, in colle suburbano, qui postmodum mons Brunconis dictus est, rotis impositi fuerunt. Nycopia & Stegeburgum arces ab imo fundamento eversæ, ne ulla parricidii & scelerum monumenta superessent. Comitiis deinde ad Morasten habitis, (1319.) Birgerum ob impia facinora sua regno excidisse declarant: *Magnum* vero, principis Erici filium, quem, ulnis suis exceptum, circumstanti concioni commendabat *Matthias Kettelmundson*, in favorem meritorum parentis avique, licet tertium ætatis annum non explevisset; regem salutabant. Et quasi parum fuisset, duorum tantum potentissimorum regnorum sceptra in infantis sinum conjici, tertium illi e Norvegia fabricavit fortuna. Haquino enim sine liberis mortuo, (1321.) hunc, nepotem ejus, regni proceres sibi regem capiebant. Mathias interim Kettelmundson, regno, fiduciario jure, in se recepto, Scanenses, quod Birgero in clade agricolarum W-Gothorum adfuissent, pro merito mulctavit. Birgerum, extorrem jam filioque orbatum, Rex Daniæ Christophorus, ab exilio in fraternum solium vocatus, Spicburgensi territorio donavit: ubi cum conjuge reliqvum infelicis vitæ tempus consumsit. Matthias Kettelmundson, quamdiu sua manu imperii habenas torquebat, regis ignavi, & fastigio suo indigni, fortunam virtute sua sustentavit. Hallandiam, Scaniam, Blekingiam & Hvenam oppignoratas, consentiente rege Christophoro, ab Holsatiis 70000. selibris argenti puri, ponderis coloniensis, redemit; & perpetuo jure regno Gothiæ adunivit; (1343.) statutis regnorum limitibus in medio freto Öre-sund / ut publica procerum instrumenta evincunt. Si cum ceteris muneribus suis, virtutem quoque tribuere for-

tuna

tuna posset, magnum septentrionis sidus extitisset hic *Magnus*. Sed ideo evectum apparebat, ut tanto indignior deprehenderetur. Fortuna quoque ignaviam ejus destituit, cum inconsulto bello Moscum lacessivit. Dissvadebant hoc bellum prudentiores quique: diva etiam *Brigitta*, cujus somnia pro oraculis habebantur, probrosam regis vitam publice traducebat; belliq; eventum in ejus dedecus cessurum vaticinabatur. Et quoniam late diffusa est nominis ejus fama, non alienum fuerit, brevem ejus memoriam hic inserere. Nata fuit in Nericia, Anno Christiano 1303, Birgero patre: & regium etiam sangvinem in natalibus suis numerabat. Viro matura, nobili militi Ulfoni nupsit; eiq; 4. filios, & totidem filias peperit. Sed cum Veneris calorem imminuisset dies, (Anno 1344.) novus Apollinis furor præcordia occupavit: cœpitque cæcas fortium ambages, & ventura fata canere. Vanitatem & fraudis suspicionem submovebat vita innocenter acta. Et de fatidica Sibilla sinistri quid suspicari, ipse religionis horror prohibebat. Et quoniam literarum rudis erat, dictantis vaticinia calamo excepit Magister Olaus Petri, Cœnobiarcha Alvastrensis, expresso numinis imperio coactus, ut ferunt: quæ postea ab patribus ejusdem cœnobii in octo libros digesta, *visiones cœlestes* inscribuntur. Opus tanti pretii istis temporibus, ut in Concilio Basileensi, multorum Cardinalium judicio examinatum confirmatumque & ab Gregorio undecimo atque Urbano Sexto, inter scripta irrefragabilis autoritatis relatum fuerit. Anno 1346. Romam ivit. Ubi cum vitæ instituto, vaticiniorumque celebritate, multis regibus, principibus, aliisque summæ fortunæ hominibus innotuisset, iter Hierosolymam versus ingressa est; Carolo, Birgero & Catharina, in longæ peregrinationis solatium, matrem co-

mitantibus. Romam redux, literas ad Gregorium Undecimum dedit, præcepitque, ut Avinione decedens, ad majorum suorum Cathedram reverteretur. Ille hoc, quasi numinis mandatum, veneratus, Romam quantocyus remigravit. Cum viginti octo annos ibi degisset, diem obiit die 23. Julii Anno 1373. Filius Birgerus, cum sorore Catharina, matris reliquias Roma Vadstenum reportarunt, ibique in Monasterio funeraverunt, quod ipsa pridem, pro sexaginta virginibus, suo sumtu ædificaverat: eisque Salvatoris regulam, ordinisque Augustiniani professionem præscripserat. Quanti vero nominis non solum domi, sed & in Italia, atque remotioribus orbis partibus fuerit, vel inde adparet, quod Bonifacius Nonus (1391.) & Martinus Quintus ipsam consecraverint. Statuam ejus Marmoream, Romæ in templo Paulino, aræ majori obversam, crucique illi, quacum sermonis mutui commercium quondam habuisse dicitur, suppliciter inclinatam, non sine superstitionis aversione vidi. Infelicem eorum cæcitatem miseratus sum, qui, cum summa Dei injuria, præsens quoddam numen, in ligno & lapide, adorant. Ceterum nostri non est instituti, ista deplorare; nec quicquid cecinerit Vates ista huc accersere: tantum breviter delibabimus, quæ de sex Regibus, seipsos insequentibus, anticipata temporum futurorum evolutione, aperuerit: *primum*, ait, *futurum asinum coronatum, majorum gloriam macula adspersurum: Secundum, lupum insatiabilem, sed cui prædam inimicus eripiet: Tertium, Aquilam alte volantem: Quartum, Arietem cornibus obvia omnia proterentem: Quintum, Agnum mactatum, cujus sangvis, tametsi non usque adeo purus, multis occasio fit calamitatis. Sextum, sævum, crudelem, sangvinarium, innocentum oppressorem, terræ marisque perturbatorem: Sed regno dejectum*

jectum miseriis calamitatibusque succubiturum: Venturum interim alium, qui pro æquitatis amore vitam profundere sit paratus. Quo instinctu hæc fuderit, alii ambitiose disputent: plurium certe ea fuit vita, ut vatem non vanam fuisse sit deprehensum. Anno 1350. sævissima quædam pestis (digre döden) in patriam grassabatur, qua non solum homines, sed bestiæ etiam moriebantur.

Caput VII.

Gemina prole mascula regem auxerat conjunx Gallica *Blanca:* quæ res tanto civibus gaudio fuit, ut Ericum Gothiæ & Sveoniæ, Haquinum Norvegiæ regem designarent. Grata hæc civium voluntas parentibus quoque fuit, imperandi honorem in stirpe sua confirmatum gaudentibus. Sed tam tener hic affectus, sævo dolore postmodum extinctus fuit. Cum enim rex, sive pravæ indolis vitio, sive uxoris etiam illecebris stimulatus, cum ætate flagitia quoq; cumularet, leges, civiumq; libertatem libidine sua conculcaret, excussa patientia, sceptrum Erico committunt, quo pater per impotentiam abusus fuisset. Præter civium vota, privatæ etiam irarum caussæ Ericum stimulabant, quod Benedictum quendam Algotum, terræ filium, collato principis titulo & præfecturis, in caput suum parentes arcessivissent. Itaq;, proceribus non improbantibus, novum istum principem in Scania armis sustulit: parentes pari impetu in ordinem redacturus. *Alberti* tamen *Mechelburgensis*, qui Regis sororem in matrimonio habebat, & Gerhardi Holsati interventu, res istæ compositæ sunt: Ut Erico *Smalandia, O-Gothia, Diœcesis Aboënsis, Scania, Blekingia & Hallandia meridionalis* cederet: *W-Gothiam, Olandiam, Gothlan-*

landiam, *Vermelandiam*, *Daliam*, *Hallandiam septentrionalem* cum *Sveoniæ* regno Magnus retineret. Regina, tigridi omni sævior, inaudito terris nostris scelere, dolorem suum exstingvere instituit. Blanditiis quippe ad se perductum filium veneno sustulit. Quæ res cum non obscuram civium vindictam minari videretur, cum marito ad Valdemarum Danum profecta, filiam ejus Margaretham septennem, filio suo Haquino despondet. Traditis etiam codicillis, *Hallandiam*, *Blekingiam* & *Scaniam* Valdemaro restituunt, ut ejus auxilio in subditos uterentur. *Gothlandiam* præterea & *Ölandiam* rapinis ejus permisserunt; in quibus arcibus diruendis, diripiendꝗ opibus 2300 rusticorum cæsa sunt. Itaꝗ publicum patriæ prædonem execrati cives, filium ejus *Haquinum*, Norvegiæ regem, in patris solium evexerunt, atꝗ, ut ipsum Calmariæ captivarent, impulerunt. Danicam præterea adfinitatem exosi, Elizabetham Mechelburgensem, missa solemni legatione, Haquino desponsari fecerunt. Parentum interim delinitus blanditiis Haquinus, liberos eos dimisit. Qui ad Valdemarum mox contendentes, tempus observabant, quo nova sponsa in Sveoniam migraret. Nec mitiora fata fuerunt, quam ut adversa tempestate ad littus Danicum disjiceretur. Ubi cum suis in captivitatem concessit, (1363.) usꝗ quo pactæ pridem nuptiæ, inter Haquinum & Margaretham Danam, Hafniæ celebrarentur. Itaque voto suo penitus dejecta, Wadstenense Monasterium ingressa est, ubi inter virgines cælibem deinde vitam peregit. Magnus interim pristinæ potestati restitutus, quo receptam Tyrannidem melius stabiliret, 24 optimates proscripsit. Qui ab Alberto Mechelburgensi humaniter excepti, filium ejus & ipsum *Albertum*, (1365.) regis Magni ex sorore nepotem, in regnum introducunt: privatum dolorem

im-

immeritæ patriæ cladibus satiaturi. Re enim ad cruentum certamen deducta, multi utrinque cives perierunt. Pugnæ tamen superior Albertus, captivum Magnum septennali carcere inclusit. Sed, quia multis adhuc integra in Magnum fides duravit, filius etiam Haquinus, pro liberando patre, nihil non conabatur, Holmiam ope Hunningi, Episcopi Aboensis, obsidione premendo. Ideo non parvam equitum manum sibi in Germania comparavit Albertus, qui cum effræni lascivia inermes ruricolas excoriarent, Uplandi, correptis armis, ceteros cives ad libertatem recuperandam hortabantur. Quievere tamen in hunc modum dissentiones; ut solutis 12 millibus selibrarum argenti, in libertatem restitueretur *Magnus*; regnumque *Alberto* cederet. In argenti istius summam 60 Nobiles Norvegi fidem suam obligarunt. Ita è carceris squaloribus erutus Magnus, ad filium in Norvegiam concessit: ubi non multo post, aquis submersus, interiit. Hic Danorum scriptores, (Pontanus p. 497. Meurs.) invita veritate, comminiscuntur Albertum perpetuo jure cessisse Valdemaro, *Gotlandiam*, *Verendiam*, *Finvediam*, *Kindiam & Marchiam*, cum toto territorio *Elfsburgensi*: addita sacramenti religione, se regem Magnum è vinculis nunquam dimissurum, nec pacem cum filio ejus Haquino facturum, nisi ipse sponsionem ratam haberet. Tam absurda in lucem proferentes, ipsa sapientiæ suæ vanitate coarguuntur. Tanta, scilicet, vecordia Albertum fuisse putabimus, ut victor & triumphator tertiam regni sui partem, regi extraneo, suspecto, inimico, gratis dederit; quo tanto conspectior futura esset fides captivitatis Magni? Sic solent pastores vulpi agnos donare, ut persvadeant, lupo, à se capto, impune non futurum! Omnium præterea mortalium ingratissimus perfidissimus-

 que

que fuisset Valdemarus, si perpetuum ei carcerem procurasset, à quo tantis beneficiis affectus fuisset; Operam etiam adhiberet, ut filia & gener suus Haquinus regno excluderetur, quod Sveonum suffragia ipsi antea detulerant; sed rejiciamus hæc fabularum monstra in suos auctores, & ad institutum revertamur. In regni possessione stabilitus *Albertus*, totam aulam, suæ nationis hominibus, implevit, interq; ipsos regni patrimonium dispertitus est: Reip. munera, Præfecturæ, Magistratus, ut spolium, alienigenis servabantur. Quæ cum inexplebili Harpyarum voragini non sufficerent, quovis prætextu in fiscum corripiebantur privatorum opes. Et ne injuriis ludibria deessent, ficto consangvinitatis nomine, cerdones & vilissimos quosque è Mechelburgo, ad nobiliora atque opulentiora matrimonia provexit. Inter has tamen rapinas & eviscerationes semper egebat, ordinumque subsidia, ad aulæ inopiam sublevandam, implorabat. Supplicantibus, *ut inutilem & perniciosum Germanorum confluxum exoneraret;* tanto splendore & decore aulam suam carere non posse respondit. Et frustra se regem existimans, si petenti quicquam negare auderet, tertium quodque prædium nobilibus per vim extorsit, Germanisque suis tribuit. Gentilitia sua hæredia relinquere cunctantes, proscriptionibus & exilio mulctavit. Grata hæc *Margarethæ* Danæ fuerunt, ægramque Sveonum patientiam callide irritavit, libertatis spem ostentans, si se ipsos ulcisci auderent. Hoc pacto conciliatis sibi exulum ceterorumque, qui *Alberti* avaritiam & crudelitatem aversabantur, voluntatibus, regni Sveo-Gothici insignia sibi usurpare cœpit. (Pontanus.) Qua injuria irritatus Albertus, Daniæ & Norvegiæ insignia armis suis inseruit: &, ut gemina contumelia se ulcisceretur, cotem ipsi misit ad acus, forfices

fices & cetera gynæcei instrumenta acuenda. Et quasi Marte tam promtum esset, quam conviciis certare, bellum etiam indixit. Inter assentatores Teutones, nil nisi trophæa, & triumphi jactabantur: alius tamen eorum sensus, qui regem temerarium, civiumque benevolentia & ærario destitutum, in principem, Daniæ & Norvegiæ viribus succinctam, Sveonumque multorum studiis subnixam, arma capere videbant. Confluebat undique miles, & in Danicum bellum nomina dabat. Sed non suppetebat, unde stipendia persolverentur. Itaque *Gothlandiam* pro 20 millibus aureorum, Equitibus Ordinis Teutonici, in Prussia oppigneravit. Acies, utrinque ad prælium paratas, W-Gothia commisit, Albertumque, insolentiæ suæ pœnas luiturum, armis superatum, cum filio Erico in Margarethæ manus, nemesis tradidit. Eventus hic fuit prælii, sed non finis calamitatum patriæ. Rege enim in septennalem carcerem abducto, miserima ubique rerum facies fuit. Sveonibus amissam victoriam, regisque captivitatem, imputabant Germani. Illi contra, horum improbitate & pessimis in patriam meritis, bellum temere conflatum regerebant. Novum regem creare aliis placebat: multis Alberti reverentia obstitit. Potuisset statim imperium rapere Margaretha, sed Sveonum in exteros contumaciam verita, intestinis malis & cladibus opprimi volebat, ut tanto patientius, servitutis jugum postea subirent. Mechelburgenses, specie obsequii in Albertum regem, per patriam palantes, infinitas clades agricolis inflixerunt; quos, ad sui defensionem concurrentes, agminatim conciderunt. Mercatores Germani, qui Holmiam incolebant, inita conjuratione, cives Sveonas ferro, igne, aqua & crucibus consumseruut. Mare etiam, piratica Mechelburgensium, tam infestum fuit, ut navigatio

gatio omnis & commercia interturbarentur. Igitur civitates Vandalicæ, quæ in partem Danorum veniebant, apud Margaretham effecerunt, ut intra triennium solutis 60 millibus (70000. Eric. Upf.) selibrarum argenti puri, aut cessione regni, libertatem suam redimeret Albertus; neutra vero conditione impleta, in priorem captivitatem reverteretur. Ita vinculis solutus, regnumque sua culpa misere desolatum, in pristinam felicitatem se restituere posse desperans; filio præterea orbatus, successorisque incerti curam non habens, sacramenti religione cives exsolvit, ut in Margarethæ Tyrannidem concederent, si ita libitum illis esset, fidem eorum & obsequia, in despectissima etiam fortuna sibi servata, summis laudum præconiis efferendo.

Caput VIII.

ITa rursus inter sacrum & saxum constituti Sveones, rerum suarum incerti fluctuabant. Saniores quique Margarethæ imperium, angve pejus, aversabantur, Tyrannidem se, non fortunam, mutaturos certi: Sed quia multi ab Alberto proscripti, fidem suam ei obstinxerant, victa sunt meliora suffragia à pluribus. Nata fuit Margaretha ex furtivo regis Valdemari, cum conjuge sua, concubitu. Cum enim impudicitiæ suspectam Selburgi inclusisset, (Pontanus.) de nocte illuc divertens, meretricio ritu sibi suppositam compressit. Atque sic scorti, ut putabat, amplexibus irretitus, legitimam sibi hæredem sustulit: cui, conjugio Haquini, filiique Olai, fata Norvegiam adjunxerunt. Patriæ etiam sinistra fortuna voluit, ut insolenti cervices nostras jugo premeret. Dici vix potest, quam dulce cecinerit blandissima hæc Sirene, dum exitium nobis machinabatur. Salvam legum patriarum autorita-

tem,

tem, magistratus, exactionum & civilium causarum arbitria, indigenis servanda, stipulantibus, promtissimo assensu adstipulabatur: fide, literis & sacramenti religione, promissa confirmans. Sed quæ fides apud illam, quæ perjuria in virtutibus suis numerabat? Cum præfecturas omnes & reip. munera involasse Danos conquererentur, risu contumeliisq; illusit: *Servarent diligenter literas, quibus privilegium eorum confirmaverat: se arces & præfecturas, quibus vellet, servaturam.* Sveonum neminem pati potuit, præter Abrahamum Brorsson/ qui, propter libidinis consortium, interioris fuit admissionis. Eamq; ob causam, Regis Erici mandato, securi percussus, ipsa adhuc vivente, & caros Adonidis manes, anniversaria memoriæ celebratione, in sacra Roschildensi æde prosequente. Secretæ tamen libidines in obscuro facile periissent, nisi, omni proscripto pudore, palam fecisset, se dedecorum infamia delectari. Monetum enim, turpitudinis sui charactere, publice signari fecit (*x*): quod ipsum Emblema, Orebrogensibus quoque, insignium loco, impertivit: quo ad Caroli noni usq; ætatem usi sunt. Creditur, hoc propudiosæ insolentiæ ludibrio Sveonibus insultavisse, ut, qui viros se semper prædicarent, ejus imperia jam agnoscerent, quam ad muliebris patientiæ legem natura damnavisset. Scriptores interim Dani, ut Divæ suæ infamiam deleant, honestatis velo turpitudinem obtegunt. Non enim sexus ejus characterem, sed bivocalem literam ex

L O &

(*x*) Nullius fere illustrius nomen, quam Margarethæ Valdemari, quæ tribus una regnis jus dixit, cum ceteris ausis, plusquam regiis, tum quod nummum pudendo muliebri signaret: aut decus muliebre asserens, aut viris socordiam exprobrans. Jacob. Typot. in relatione Histor. de regno Sveciæ.

O & E conflatam fuiſſe, quæ, extrita prœli cælatura, propudioſæ imaginis exemplar figuraſſet. Digni ſunt tam lepidi literatores, qui ex hoc Muſtaceo laureolam capiant, inventamq; literam Muſarum ſuarum ſtolis adfigant, & pro ſingulari ornamento ſibi habeant. Nos enim dehoneſtamentum illud atq; probrum ex publicis monumentis eraſimus. Sub prætextu Gothlandiæ redimendæ, infinitam argenti vim Sveonibus extorſit. Jumentum quodlibet, focus & conjugium ære taxata; cujus ne centeſima quidem pars Gothlandiæ redemcioni ceſſit. Variis enim injuriis vexati Equites ordinis Teutonici, acceptis novem millibus aureorum, inſulam reliquerunt. Sed quicquid unquam corradi poterat, in Daniam deferebatur: ut, exhauſtis opibus, libertatis quoq; contumacia ſubjugatis adimeretur. Tam injurioſe habiti Sveones, pacem exuerunt. Illa, ut conſternationem exarmaret, imperio ſe ſponte ceſſuram profitetur, ſi in nepotem ſuum Ericum Pomeranum eſſent conſenſuri. (1396.) Iſtam in rem trium regnorum ſenatus Calmariam convenit. Decretum ibi; *ut perpetuo dehinc fœdere uni regi parerent omnia tria regna. Singulorum vero libertati ita conſulebatur, ut, quadrimeſtri ſpatio, per vices in quolibet regno degere deberet Rex. Ceterum jura, leges, privilegia, nomen cuique ſervarentur: munera omnia publica indigenis committerentur. Ipſa regna æquali inter ſe jure & eminentia gauderent; nec unum in acceſſionem alterius deprimeretur. Legeret ſibi unum, quodque ex ſuo corpore, Proregem, Marſchum, Aulæ magiſtrum & Cancellarium, ceteris plane inconſultis: Vectigalia, reditus in cujusque regni ærarium inferrerentur; nec in diſpendium ceterorum erogarentur. Bellis ſuſcipiendis, ſingulorum conſenſus requireretur; tenerenturque cetera gravato ſuccurrere ſuis impenſis, usque quo ſubſi-*

dia

dia in illud regnum provenirent, quod belli mole premeretur: ejus deinde stipendiis militatura. Rege mortuo, quadraginta jurati proceres, ex quolibet regno, Halmstadium convenirent; &, regis filio non superstite, sorte decernerent, ex quo regno regem eligere deberent; ne nulla contemtus querela suboriri posset. Et his 120 circa Electionem diffidentibus, 12 ex eorum numero ducerentur, qui concordibus suffragiis rem peragerent. Plausibiles sane conditiones, quibus libertati cujusq; satis provisum erat. Sed re ipsa compertum fuit, fœdus illud in Sueoniæ & Norvegiæ ruinam excogitatum fuisse. Dani quippe, quæ promiserant, tam præstare cogitabant, quam esuriens canis jejunium, visa offa. Quo fiebat, ut, perjuriis horum, in extremum exitium perducti Sveones, fœdus tandem illud condemnarint. Hujus vi fœderis *Ericus Pomeranus* Sveoniæ primum, deinde, postquam *Margaretha* ad inferos concessit, omnium trium regnorum solium adeptus est: qui materteræ artibus imbutus, eo humilitatis Sveones redigere cogitabat, ne quid adversus violenta imperia moliri possent. Cui rei perficiendæ bellum in Holsatos suscipi placuit. Gestum illud fuit per 29 annos, semper fere infeliciter. (Meurs.) Non enim tam vincere, quam Sveonum vires frangere cupiebat. Cogebatur enim nobilitas suis stipendiis assiduo militare; &, cum ne sic quidem satis cito periret, trecentos ordinis equestris viros, sævissimæ tempestati objectos, in ipso fere portu submergi fecit. Non suffecere tamen Tyranno tot annorum clades, nisi alio se bello cum Vandalicis civitatibus implicaret; quod 9 continuos annos duravit. Inter hæc Romanum Imperatorem invisit: Hierosolymas etiam tendit, scelerum forte expiandorum prætextu. Marito absente, Regina Philippa Angla, gloriæ avida, 75 naves bellicas Stral-

sundam expedivit; quæ omnes ibi à Sundensibus atq; Lubecensibus captæ, aut depressæ fuerunt. Quæ ipsi temeritas non parvo constitit. A marito enim, domum reverso, ita excepta est, ut brevi deinde post in Monasterio Vadstenensi decederet. Extincta foris nobilitate, ceteros cives vi, rapinis & immanibus exactionibus exhausit; (y) adeo ut, ne teruncius quidem, in toto regno residuus ferè esset: cogerenturq; miseri domesticam supellectilem, pecudes, prædia, & tantum non semetipsos in Danicam voraginem præcipitare. Inter alios Regis Gryphes & Harpyias, *Jösso* Erichsson Dalecarlis eviscerandis præfuit; tantæ immanitatis bellua, ut, maritis fumo necatis, uxores gravidas jugo adplicaret; quæ inter laborum angustias, projecto fœtu, nova aratri aggravatione ad necem adigebantur. Horrendum prorsus, enervatam abortiendi doloribus, imbecillem naturam non potuisse se calamitatis privilegio, truculentiæ eximere! Matronas virginesque, ante maritorum & parentum ora, infanda stupri libidine violare, ludum jocumque putavit. Igitur Engelbertus, mediocris nobilitatis vir, apud regem semel (1433) iterumque, de *Jössonis* ceterorumque præfectorum sævitia, frustra questus, populares ad arma & libertatem vocavit. Et illi, vindicem suum non destituentes, correptis armis, præfectos regios ejecerunt. Jösso, prope Vadstenum in rusticorum manus perveniens, promeritas scelerum suorum pœnas luit. Adhuc tamen in regem, quamvis sævum & crudelem, integra senatorum voluntas: quos, cum bonis verbis in partes suas pertrahere non posset, *Engelbertus, an Tyranni scelera tam sacrosancta habe-*

(y) Af Markaland gafs 10. Markastatt/ förutan andra utgiärder.

haberent, exquisivit, *ut nefas putarent, libertatis meminisse? Si ei diutius adhærerent, qui civium innocentum vitam & fortunam conculcabat, se ipsos prædonum & proditorum loco habiturum, bonaque eorum prædæ addicturum.* Quibus minis inducti, *Erico* fidem & obsequium rescripserunt. Exactos præfectos suos, Sveonesq; in libertatem se adseruisse, ægre ferens *Ericus*, maxima classe Sveoniam petiit: majori tamen ejus parte tempestate amissa, ipse Holmiam tandem delatus est. Engelbertus proceresq; læsæ fidei postulati, *non obsequii impatientia, sed ipsius perfidia, & injuriis coactos se huc devenisse*, respondebant, *ut, quo jure Regem eum constituissent, eodem tyrannum & prædonem dejicerent.* Arce itaq; Holmensi præsidio firmata, in Daniam recessit. Publicæ interim salutis curam non intermittebat Senatus cum Engelberto. In comitiis Sigtunensibus tantum effecit Kröpelinus, præfectus Holmensis, ut sequenti anno Ericus in regnum restitueretur. Quod cum perfidis promissis recepisset, asperiorem multo tyrannidem exercuit. Conquerentibus de hoc civibus, assentator inquit; *Vester esse volo;* rebusq; pro libidine constitutis, in Daniam suam remeavit. Non delusos se tantum Senatores, sed & in pejorem conditionem rejectos videntes, (1436) cum Engelberto Arbogiam concedunt, de publica omnium salute consilia inituri. Quo perlatæ etiam sunt literæ supplices Holmensium, qui Albertinorum temporum memores, a præsidio regio civibusq; Germanis non leviter sibi timebant. Quæ res præsentiam optimatum requirebat; sed accurrentes, urbis ingressu prohibentur. Evocati Consules Germani, frivolas exclusionis causas prætexentes, à Senatoribus detinentur. Ceteri cives, pacis tempore hanc injuriam senatui illatam indignantes, effractis portis, introitum aperuerunt; liberta-

tisque vexillum in foro evexerunt. Arcis præfectus Ericus Jutho, qua nocere posset, occasionem non intermittens, ignem urbi subjecit; ivissetque in cineres, nisi sedula civium opera intervenisset. Arcis obsidendæ cura *Carolo Knutson* commissa: *Engelbertus & Ericus Puke*, collectis militaribus copiis, trium mensium spatio, omnes sævitiæ Danicæ reliquias, per totum regnum, deleverunt; Hallandiam etiam & Scaniam in suam potestatem redegerunt. Post tanta in Patriam merita, impia Magni Benedicti in Giöksholm manu cecidit Engelbertus: Vir fide, constantia, animi magnitudine, & in patriam amore prorsus singularis. Tam acerbo casu consternata patria, externorum simul & optimatum libidini patuit. Regni præfecturam adeptus *Carolus Knutson*, percussorem Engelberti in fidem suam recepit, opulentioresque provincias sibi servavit, ut æmulorum suorum potentiam infringeret. Quorum præcipui erant *Drotzetus Christiernus* Nilßon / *Ericus Puke*, *Broderus* Swenßon / *& Nicolaus* Stenßon. Melius tamen illis non cessere æmulationis studia, quam ut carcere vel supplicio ausa sua luerent. In comitiis Calmariensibus facta Erico spes recipiendi principatus, si ad saniorem mentem esset reversurus: res tamen ad concilium Sudercopense delata. Ericus, ut ad præstitutum tempus adesset, è Gothlandia solvit, sed naufragio vix superstes, in litus insulæ rejectus est. Rege frustra exspectato, arces nonnullas, quæ adhuc in extraneorum manibus erant, repetebat Carolus Knutson; renuentesque detinuit, usque quo præfecturis cessissent; quæ deinde, majorum more, indigenis concreditæ fuerunt. Susceptæ inde, de Erico constituendo, consultationes irritæ fuerunt, quod nullis se legibus adstringi pateretur, absolutamque Tyrannidem affectaret. Ad comitia

mitia tamen, die Martini habenda, citatur, ut, ni intra tres menses compareat, civibusque satisfaciat, omni reversionis spe excideret. Inter hæc Dani imperium ejus ejurant, quod thesauros Daniæ avexisset, regnumque *Bogislao Patrueli* conciliare decrevisset, multasque ex regno Daniæ partes divulsisset. Quorum criminum invidiam in illos, tanquam autores, retorquens, sese innocentem fuisse rescripsit; (Pontanus. Meursius.) Sed inquieta eorum ingenia, violenta imperia, injustitiam, iniquitatem, perfidiam, atq; immanem avaritiam in causa fuisse, cur Sveones patientiam tandem excusserint. Ita regnis suis exutus, per 10 annos in Gothlandia se piratica sustentavit: Insula tandem Danis tradita, in Pomeraniam trajiciens, duas naves, regia Gaza onustas, tempestate amisit, totidemq; Rivoldiæ annis exactis, decessit cum vixisset 74, regnasset quadraginta duos, & 20 annos exul fuisset.

Caput IX.

ERico excluso, finiri calamitas Patriæ potuisset, si ad regiam dignitatem indigenam aliquem evexissent. Bene de regno meritus erat *Carolus Knutson*; ceteri tamen optimates meritis ejus ambitionem suam antehabuerunt. Gliscens inde simultas externis spem regni fecit. Nec quicquam omisere Dani, quo Christophorum suum Bavarum, insidiosa commendatione, incautis obtruderent. Nec repugnabat magnopere Carolus, si, pro republica perpessi labores sui, alio præmio redhostirentur. Itaq; ut principatus jacturam patienter ferret, Finlandiæ præfecturam ei tribuit senatus & Ölandiam in perpetuam possessionem; ita tamen, ut 40 millibus dachmarum Holmensium redimi posset, si regni necessitas ita exigeret.

ret. Igitur voti sui jam prope certus Christophorus, Sveonum voluntates sibi demereri studebat: Carolum etiam parentis loco venerabatur. Futuri regiminis sui præscriptum, à Sveonibus tale acceptavit: *ut regni jura & leges inviolata conservaret: extraneum neminem in senatum legeret: arces & præfecturas indigenis committeret: Regni reditus & vectigalia alio non efferret: Gothlandiam Sveoniæ restitueret.* In ipsa inauguratione sua, septuaginta illustres viros, equestri cingulo, donavit. Germanos inde suos propiori adfectu fovens, ad reipubl. munera promovere incepit: ab senatu tamen utriusque regni serio admonitus, destitit. Multa interim damna civibus Sveonibus, é Gothlandia piraticis suis excursionibus, intulit Ericus. Regis opem in hunc implorantibus, *avunculum vitæ necessariis indigere*, respondit: quasi justitiæ esset, innocentum fortunas, prædoni consangvineo relinquere. Præfecturas, stipendia & Reip. munera, non solum divendere; sed & in unum plures simul inducere, solemne habuit. Quo fiebat, ut sæpe diales essent magistratus, pluresque de uno munere, armis inter se contenderent. Rem fori tamen in hoc adjuvare visus est, quod ex provinciarum legibus, corpus quoddam juris compilare fecit. Sed quid juvat, aliis leges præscribere, quas ipse violas? videasque reges malos, ad leges ferendas & innovandas, promtissimos esse; sed, ut sancte & salubriter conditas observent, ab libidine sua non impetrare. Plus sane præstitisset Christophorus vita sua, innocentiæ exemplar exhibendo, quam si legibus irritis justitiæ illusisset. Sed cum libidinum, flagitiorumque domesticorum infamiam non erubesceret, publicæ calamitatis causam, ex vita ejus flagitiosa & impia, profluxisse creditum est. Ad pestis quippe sævitiam magna annonæ caritas accessit: ut inopia

pia

pia frugum, arborum cortices, in panem excoquerent pauperiores. Unde & ipsi cognomen, Barka-Konung/ inditum est. Benivolentiam, quam in *Carolum Knutson* simulaverat, in odium & insidias convertit: quod virtus ejus & integritas popularibus acceptior esset. Aversionem istam pro viribus auxit Drotzetus, Christiernus Nilsson/ ut ipsius ruina captivitatis suæ injuriam ulcisceretur. Sua tamen cautione & amore civium, firmior erat Carolus, quam ut Regis & Drotzeti insidiis subverti posset. Corrasas apud Sveones opes, in Daniam avecturus, naufragium passus est; Neptunusq́, Sveonum vere vindex, interceptum thesaurum, fratri suo Plutoni legavit. Regem tamen ad litus enatare permisit: qui brevi post, Helsingburgi diem suum obiit. Variantibus inde procerum Sveonum, de Rege eligendo, sententiis, ii tandem vicere, qui, indigenam aliquem creandum, decernebant. Virtutem vero & merita æstimando, non erat, quem *Carolo Knutson* anteferrent. Ejus tamen electioni refragabatur Archi-Episcopus Johannes, honorem illum, in patrem suum Benedictum, translatum cupiens. Sed ceterorum consensui impar, presso odio, Carolum, (1448.) in comitiis Morating regem designatum, Upsalæ coronavit. Prima ejus expeditio in Gothlandiam fuit, piraticarum excursionum nidum: capta insula, cum urbe Visbyensi, Ericus in potestatem redactus fuisset, nisi fatali præfectorum Magni Green & Birgeri Trolle ignavia, an perfidia, constitutis induciis, arcem commeatu instruxisset. Impetratis inde è Dania auxiliis, arcem illis tradens, in Pomeraniam suam navigavit. (1449.) Mox cum classe adveniens Christiernus, tota insula classiarios Caroli ejecit. Hoc tamen damnum majori fortuna pensatum fuit. Per idem enim tempus, cupientibus proceribus Norvegiæ,

regium honorem Nidrosiæ solemniter inivit: rebus ex voto ibi constitutis, Aslaco Turesson & Enaro Muscæ, regni curam commisit. Omnem interim movebant lapidem Dani, quo *Christiernum* suum *Oldenburgicum* Sveonibus conciliarent. Conventum Halmstadiensem, pro publica regnorum quiete indictum, Senatores aliquot invisere, quorum principes erant Magnus Green & Nicolaus Jönsson/ sed fidei & mandatorum immemores, inimica ibi in regem, cum Danis, fabricaverunt consilia. Is, pro mansvetudine sua, sceleris compertos, arcium præfecturarumq; ademtione, mulctare satis sibi putavit. Hac, ut interpretabantur, injuria affecti, in Daniam profugerunt, strenuamq; Christierno, contra regem & patriam, operam navaverunt. Conatuum itaq; irriti Dani, viam dispiciebant, quemadmodum Carolum, subditis invisum redderent. Et illa commodissima occurrebat, ut assiduis belli inferendi minis eum distinerent. Nec fefellit astutos consilium. Colonus quippe, continua militum discursatione vexatus, publicanorum insolentiam acerbius ferebat: regiq;, ut malorum autori, irascebatur. Lætum id Christierno, qui per præfectum suum Olaum Axelsson (al. Estildsson) oram Holmensem populatus, bellum movere inceperat. Quoque latius terrorem daret, W-Gothiam prædis & rapinis corripuit. Mox tamen inde rejectus, & Hallandiæ Scaniæque vastitate, W-Gothiæ damnum pensatum fuit. Cum in eo esset, ut Ölandiam, ab Danis interceptam, recuperaret, Archi-Episcopus odiorum suorum tenax, & Danicarum propterea partium, Uplandos & Vestmannos in arma concitavit, Carolumque revertentem ad Stregnesium cecidit, & mox Holmiam obsedit. In his angustiis deprehensus, civiumque benivolentia destitutus, thesauros suos Monacho-

rum

rum fidei & custodiæ tradidit; levatisque ancoris, Gedanum ad Casimirum, Poloniæ regem, navigavit. Antequam terra solveret, quæsivit servus; *an quicquam omissum existimaret? Te*, inquit, *Tuiq; similes in furcam agere destiti: unde merito mihi hæc calamitas provenit.* Ejecto Rege, munitiora regni loca occupavit Archi Episcopus, nulla Christierni mentione facta, quem sciebat publico odio laborare. Cum classe interim, ut inter ipsos convenerat, quasi in auxilium contra Carolum venientem, Holmiam introducit, regemq; creat. Et Monachi, ne minus, quam Archi Episcopus, perfidi essent, thesauros Caroli Christierno prodiderunt. Qui cum ad Holsatiam & Stormariam, ab Comite Schaumburgensi, redimendas non sufficerent, gravissimis cives exactionibus pressit: nec querentibus remedium, nisi ab armis. Motibus illis compositis, Archi Episcopus, ab indignante Christierno, in carcerem conjicitur, in illum quidem innocens, sed, propter perfidiam in Regem & Patriam, centum furcis dignus. Romani Pontificis minas, ob indignum facinus, in sacri ordinis principem virum, perpetratum, cavillando elusit: Non Archi-Episcopum, sed perjurum, officii desertorem, civiliumq; munerum usurpatorem, abs se in ordinem redactum. Illa interim, in Archi-Episcopum severitas, improspere Christierno cessit. Catillus quippe, Lincopensis præsul, ut avunculum liberaret, depositis sacris infulis, magno eum prælio ad Haraker fregit, patriaq; expulit. Ita sui rursum juris cives, regem alienigenam, Archi-Episcopi perfidia introductum, vitioq; creatum, rejiciunt, Carolumq; Gedano revocant. Cui ut negotium facesseret Christiernus, capitalem ejus inimicum, Archi-Episcopum è carcere dimisit, magnis præmiis & promissis oneratum. Reducem in gratiam recepit Carolus,

rolus, intercedentibus, fidemq; suam pro illo obstringentibus, patribus collegii Ecclesiastici Upsal. Aspidem tamen in sinum admisit, à quo, pro collato beneficio, vulnus acciperet. Pristinæ enim dignitati restitutus, diris regem devovit; seque Principem & Gubernatorem regni ferendo, Carolum Holmiæ obsedit: atq;, ut regnum abdicaret, sacramentum & fidem subditis remitteret, adversariosq; famæ & honori restitueret, coëgit. Animus quidem Archi-Episcopo fuit, Christiernum reducere: Factionis tamen sociis, regnum inter se dividere, Caroloque stipendium vel provinciam aliquam tribuere, placuit. Qua sententia prævalente, pro ademto regno, Raseburgensem in Finlandia præfecturam ipsi reddiderunt. Haud æqua sane retributio, si ad justitiæ lancem expendenda fuisset. Humanitatis interim famam affectabant, quod regis titulum ipsi non eripuerunt. Sic rege suo orbata patria, dissidiis rapinisq; optimatum discerpebatur. Archi-Episcopo, ob non obscura in Christiernum studia, regni præfectura ademta, in *Ericum Axelson* transfertur. Sed illo & factionis viribus & Christierni auxiliis crescente, Ericus Axelson & Nicolaus Sture, desideriis civium, in reducendo Carolo, operas suas commodarunt. Sic jam tertium (1468.) in regni solium collocatus, postquam tres fere annos privatus vixisset. Archi-Episcopus Patriæ suæ tortor & proditor atrocissimus, regisq; æmulus, ne plura in regnum scelera perpetraret, propitia fata intercesserunt, ad Cereris generum relegando. Cum ipso tamen factionis hydra extincta non fuit, superstitibus Erico Carlson, Frotone Carlson & Erico Nilson, qui novis patriam turbis involverent; quamvis non pari sceleris effectu. Rebellibus cæsis & in Daniam fugatis, Halmstadii reconciliatione inter Carolum & Christiernum frustra tentata, Danus irru-

irruptionem in W-Gothiam fecit. Mox tamen inde Stenonis & Nicolai Sture opera rejectus fuit. Quin & illud annalium memoriæ ereptum, perire non meretur; Caroli hujus tempore, Moſchum ingenti exercitu Viburgum circumſediſſe, arcisque præfectum Canutum Poſſe, arcanæ artis prodigio, victoriam obtinuiſſe. Civibus enim militibusq; ſuis in cellas & cavernas abditis, æneum lebetem in ſumma propugnaculi turri collocavit. Repletus is erat avernali pharmaco, quod ab ſervo, auribus cera obturato, ſuccenſum, tam horrendum edidit tonitru, ut quicunque fragorem iſtum auribus exciperent, exanimati corruerent. Si qui ſpiritum languidum adhuc trahebant, ab ſupervenientibus militibus præſidiariis trucidabantur. Fortunæ lubricum toties expertus Carolus, diem ſuum placide Holmiæ obiit.(1470) Totum vitæ ejus imperiique tempus ſeditionum & turbarum ſcena fuit. Ingenio quidem callidus, ſed in adverſis parum firmus, & ſic æmulorum inſultibus obnoxius deprehendebatur. Illos tamen facile repreſſiſſet, ſi, coërcita ſeverius miniſtrorum ſuorum improbitate, Civium benivolentiam ſibi devinxisſet.

Caput X.

POſt avunculi mortem, regni habenas accepit *Steno Sture*, (1471.) tam innoxiæ popularitatis princeps, ut Civium ſuorum amor & deliciæ merito audiret. Profligato emiſſario ſuo Erico Carlſon, decem millium exercitu Holmiam obſedit Chriſtiernus. Adproperantibus mox Stenonis copiis, quas Nicolaus Sture & Canutus Poſſe ductabant, commiſſa acerrime pugna fuit, in ſuburbio boreali ad radices montis Brunkonis. Et, Sveonibus majori virtute pugnantibus, cæſa Chriſtierni acies fuit, cum

belli duce Frottone Carlſon. Qui ferrum evaſerant, in vicinum flumen acti, perierunt. Chriſtierno quatuor anteriores dentes ſagitta excuſſi fuerunt; quæ alte faucibus impreſſa, non niſi graviſſimo cruciatu evelli potuit. Claudius Rönovius, Daniæ Marſcus, Turo Turſon, Nicolaus Chriſtiernſon, Andreas Frijs, pluresque alii in Stenonis poteſtatem venerunt. Fugato Chriſtierno, quies regno rediiſſet, niſi Moſcus populationibus Finlandiam involviſſet. In illum miſſus Ericus Axelſon, Regni Marſcus, prædatorem debellavit: exſtructoque in finibus Savolaxorum Olaoburgo, hoſtiles irruptiones coërcuit. Quieſcentibus ita externorum turbis, ad pacis artes converſus Steno, multa, in patriæ honorem & commodum, bono conſilio, emendavit. Inter cetera præclara ſua, ipſi auſpicia Academia Upſalenſis debet: (1479.) Bononienſis Academiæ privilegia, ipſi conferente Sixto Quarto, Romano Pontifice. Chriſtierno mortuo, Norvegiæ proceres fœdus cum Sveonibus ineunt, de Danorum, in Rege ſibi capiendo, ſocietate repudianda. Magnis tamen promiſſis Halmſtadii circumventi, in *Jabannem* conſenſerunt. Cui etiam, poſt biennium, (1483.) in comitiis Calmarienſibus, noſtri proceres ſpem regni, ſed difficillimis conditionibus, fecerunt. *Ut*, nempe, *articulatim unionis capita, tempore Margarethæ ſancita, obſervaret: Gotlandiam regno Sveoniæ reſtitueret: Regno de damnis, ab Chriſtierno patre illatis, ſatisfaceret: æs alienum ſolveret; theſauros, reditus, & publica inſtrumenta non aveheret: regno de jure & legibus, ſenatui de honore & bonis caveret.* Verum cum, his pluribusq; aliis conditionibus non impletis, regno obrepere non poſſet, ad arma conſilium adjecit, Moſcumq; in Stenonem concitavit. Ita é re publica viſum quibusdam, *Jabannis* ſpem non differendam, ne duobus ſimul bellis pa-

patria implicaretur: obnitente maxime Stenone, non quod regnum ambiret, ſed quod, conſpectis Danicis artibus, ab Jahanne ſimul & æmulis ſibi timeret. Hinc ad incolumitatis præſidia reſpiciens, cum Ivaro Axelſon, affine ſuo, agere coepit, de *Gotblandia & Finlandia* ſibi tradendis, oblata alia, non minoris pretii, præfectura. Finlandiam quidem amicorum opera impetravit: (1490.) Gothlandiam vero majori pretio intercepit. Danus inaugurationem literis nunciisque ſubinde urgebat. Steno, cum Vandalicis civitatibus percuſſo fœdere, regni adminiſtratione decedere noluit. Civium enim effecere preces, ut ipſam retineret. Weſtro-Gothia ejectus Jahannes, ad conventum Calmarienſem (1495.) profectus eſt, ſi forte Sveonum voluntates ſibi demereri poſſet. Stenone autem, à cujus nutu rei ſumma dependebat, ibi non comparente, fruſtra eorum fuere ſtudia, qui Dano cupiebant. Sequenti anno, (1496.) ad comitia iterum ibi peragenda, magna claſſe acceſſit; Vim forſan exerciturus, ſi bona gratia regnum impetrare non poſſet. Et menſes aliquot fruſtra exſpectatus Steno, literas tandem Jahanni miſit, quibus bellum an pacem eligere vellet, integrum ipſi faciebat. Ita ad Calmariam fruſtra hærenti, incenſa prætoria puppis, regiam ſuppellectilem fundo merſit: ceteram itidem claſſem exorta tempeſtas fœde afflixit. Itaque Neptuno non minus, quam Stenoni iratus, deſtinata ſua in ludibrium recidiſſe indignabatur. Ne tamen nihil egiſſe videretur, oblatis trium annorum induciis, Stenonem ab Anſeatico fœdere deducere conabatur. Sed ille, quorſum conſilia tenderent, non ignarus, induciis in breve tempus factis, à fœdere non diſceſſit. Moſcus interim, accepta ad Viburgum clade novem millium militum, receſſerat. Mox tamen, reparatis viribus, terrorem

&

& cladem ruricolis inermibus intulit. Stenonis quippe miles, in præsidia dispertitus, satis habuit, inundantes hostium copias ab se depellere; de præsidiis magis, quam agrorum damnis, sollicitus. Regresso Mosco, qui ad populationes magis, quam bellum, venerat, Steno belli administrandi curam *Svantoni & Canuto Posse*, qui prius ad Viburgum rem bene gesserat, committit, &, ad delectus habendos, in Sveoniam revertit. Illi, militum supplemento diu frustra exspectato, parva manu insignem de hoste victoriam reportarunt. Steno enim, ambiguas procerum voluntates & Dani studia suspectans, omni se præsidio militum domi nudare, consultum non ducebat. Senescente tamen anno, non spernendi auxilii ductor ipse in Finlandiam fuit. Sed jam Svanto, rebus convasatis, domuitionem parabat: & revertendi certum, cum ad novam expeditionem inducere non posset Steno, jurgia & iræ utrumque commiserunt. Svantonis etiam animum ab se prius abalienaverat, quod demortui parentis præfecturam, senatu etiam suadente, in ipsum non transtulerat. Itaque cum ceteris æmulis haud dubie accessurus Svanto videretur, rebus utrinque cum Moscho compositis, sibi revertendum statuit. Reversum senatores Magistratu decedere jubent; *quod in tantis turbis & armorum motu, rege opus esset, nec differri ulterius possent promissa, Johanni Regi facta.* In speciem ista prætexebantur: præcipua tamen ægritudinis causa fuit, quod ceterorum civium studio subnixus Steno, multa faceret, non requisita autoritate Senatus. Svantoni etiam alto corde hæsit, exprobratæ sibi fugæ injuria. Negabat autem Steno, senatui se regnum redditurum, quod omnium ordinum consensu teneret. Si illi juberent, mandatis se libenter obtemperaturum. Stenone cum Senatu altercante, Johannes W-

Go-

Gothiam & Smalandiam armis corripuit. Igitur Archi-Episcopus Jacobus, homo quietus & Patriæ amans, longeq; à priore Johanne diversus, tanquam princeps senatus, omnia solicite egit, quo Stenonem & proceres in gratiam reduceret. Ipso autem, nisi salva autoritate sua, reconciliationem abnuente, Archi-Episcopus, ceteris non minus obstinatis, recessit. Arvidus Trolle, rebus cum Dano compositis, Calmariam ipsi cedit. Steno igitur, apud plebem senatum criminatus, quod regem alienigenam & insolentem Dominum, in cervices omnium arcesseret, Archi-Episcopum, cum nonnullis senatoribus, in arce Stekana obsedit, villamq; ejus & curiam Upsalæ diripuit, Episcopo Henrico in captivitatem abducto. Jahannes, quo periclitantibus amicis opem ferret, Holmiam propere tendit, Stenonemq; in suburbio cecidit, Dalekarlis, auxilio adproperantibus, prius ad Rotebro dissipatis. Jubente igitur sinistra patriæ fortuna, Holmiam, totumq; regnum, in *Jahannis* manus tradidit, (1497.) rerum anteactarum oblivionem, vitæq; & fortunarum securitatem pactus. Vix regno inauguratus erat Jahannes, cum Archi-Episcopus & ceteri, de acceptis damnis, Stenonem in jus vocarent. Rege vero, ob fidem publicam ipsi datam, intercedente, pontificis autoritatem imploravare; tantoque fervore litem persecuti sunt, ut nisi Conradus, Episcopus Strengnesiensis, Stenonis causam suscepisset, de vita periclitatus fuisset. Rebus ex voto ordinatis, in Daniam recessit; mox tamen, uxore & filio comitatus, rediit, (1499.) atq; à proceribus obtinuit, ut Christiernum, patri successorem, destinarent. Fuit Jahannes ingenii satis moderati & probi, adeo ut, cum convivio Sveonum proceres excepisset, & suggestor quidam scelerum, *hoc unum solidæ lætitiæ defuisse*, quereretur, *quod non adesset spiculator*, *qui*

Sveonum cervices demeteret; impiam latronis vocem averſatus, cœnaculo exceſſerit. Fatali tamen ſecuritate, Scyllam iſtam declinare non curavit, ad quam *Albertus*, *Margareta*, *Ericus*, *Chriſtophorus & Chriſtiernus* naufragium feciſſent. Damnata enim indigenarum fide, præfecturas & præſidia Danis tradidit; Vectigalia, reditus, omnemq; Reipubl. nervum in Daniam avexit. Quod utrumque ne faceret, ſacramenti religione prohibebatur. Abalienatis ſic Sveonum animis, bellum in Ditmarſos ſumit, infelici plane eventu. Ab exigua quippe hoſtium manu turpiter victus & fugatus, (1501.) pleraque exercitus parte cæſa & deleta: Comites Oldenburgici duo, cum trecentis ac 60 é nobilitate Danica, cecidere: Tormenta omnia bellica, cum ſignis militaribus, in hoſtium poteſtatem venerunt. Regem ſic fractum, ſed tamen adverſus juſtas querelas ſuas obſtinatum, in ordinem redigere decreverunt Sveones. Quia tamen, præſentia Regis, componi omnia poſſe videbantur, Stenonis ſvaſu, adventum ſuum acceleravit. De Stenonis inſidiis & ſubleſta in Regem fide, mira hic quædam, ex Petro Roſenſontano, comminiſcitur Meurſius; eaque prorſus integritate, in rebus noſtris exponendis, verſatur, qua Stenonem ceterosque Svionas in Jahannem fuiſſe, invidioſe arguit. Quamvis ſe, hominem Batavum, gratiæ odiique cauſas procul habuiſſe, aliis perſvadere velit: quaſi emolumentum commodique ſpes, mercenariam operam, in partium ſtudia, flectere non poſſet! Æquitatem hominis vel inde perſpicias, quod Sveonibus, tantum non ſingulis paginis, perfidiæ perduellionisque crimen impingit; quod externos Tyrannos, optimo quoque reclamante, per factionem introductos, rerumque potitos, ut datæ fidei & legum contemtores, perjuros, ſævos ejecerint, Remque publicam melioribus commiſerint.

Da-

Danis vero, ad fidem exuendam, Christiernumque regno pellendum, metum ex laniena Holmensi, & asperum nimis in Torbernum Oxe / suo tamen judicio, haud innocentem, supplicium, justam & divinitus inspiratam causam fuisse contendit. Si Christierni in Sveonas merita percensuisset, sævum & humani generis pestem, non injuria traduxisset; in Danicam vero Rempubl., cujus nos servitio auctorare instituit, innocens plane fuit. Mirari sane, an misereri regum fata licet, quod injuriam interpretentur, jure secum agi. Potuisset Jahannes omnes Sveonum querelas & indignationes exarmare, si fidei suæ sacramentum, & regni leges ratas esse voluisset. Ceterum fastigii sui memor, ad legum arbitria, acta sua devocari, indignabatur. Irritis igitur utrinque disceptationibus, acerbati animi in diversa ibant. Rex, Holmia præsidio bene firmata, conjugem ibi gravidam reliquit. Ipse in Daniam, ad novas vires comparandas, navigavit. Itaque periculi metus, procerum animos arctius colligavit. Quorum nomine publicatæ literæ, regnum Jahanni abrogabant, Stenoni, publica autoritate, rerum gerendarum summa tradita. Et, quia Jahanni maxima fiducia in præsidio Holmensi erat, è re visum, illud primum depellere. Obsessa urbe, Consules & Senatus Urbanus, Stenoni se permittere decreverunt. Quo intellecto, qui in præsidio erat miles, ignem tectis injecit; itaque, haud ambiguo malo territi Cives, apertis portis Stenonem intromiserunt. Et quamvis extincto incendio, magnum tamen damnum acceptum est. Jahannes, rem serio agi videns, optimatum arbitrio litem committi flagitavit. Sed illi, ad fraudem jam cautiores, ab incœpto non destiterunt. Christina ad extrema redacta, arcis deditionem fecit, (1502) seque in Stenonis potestatem tradidit. Triduo post, cum classe appulit Jahannes,

conjugi opem laturus, sed alia, ac speraverat, rerum facie deprehensa, in Daniam mœstus retrocessit. Regina, liberaliter habita, sesquiannum in Sveonia mansit. Regnum, cum conjuge amissum, vi recuperaturus Jahannes, Anseaticis Civitatibus navigationem in Sveoniam interdixit. Atq; sic, intercepta commerciorum libertate, Lubecenses sibi hostes fecit. (1503.) Steno etiam, ut hostem distineret, Norvegos in ipsum concitavit. Sed tumultuantes ad obsequium reduxit Christiernus; inde in W-Gothiam irrumpens, Ludosiam cepit. Ibi, quod arma in propinquo nulla essent, secure agentem opprimere potuisset Achatius Johanson, præses O-Gothiæ, nisi, virtutis suæ fiducia, classico semisomnes excitasset. Ita tumultuario prælio, par utrinq; clades accepta fuit: & Christiernus, exusta Ludosia, copias suas in Scaniam reduxit. Locis omnibus munitis, præter Calmariam, in potestatem redactis, Reginam dimisit Steno, eamq;, officiosæ deductionis causa, in Smalandiam usque comitabatur. In hoc itinere, subita valetudine correptum, fata exstinxerunt. (1504.) Mors ejus, Hemmingi Gaddi, Lincopensis præsulis, jussu, celata, quousque Svantoni principatus confirmaretur. Funus ejus, viventis adparatu, Holmiam perlatum; & Svanto, comitatui immixtus, regni princeps & moderator à Gaddo & ceteris salutatus est. Quæ, licet præter morem fierent, senatus tamen rata habuit, ob viri virtutem & merita.

Caput XI.

PRæsidio Danico adhuc insedebatur Calmaria, nec Svantonis obsidione, quamvis acri, ejici potuit. Lubecensium naves aliquot, Dani interdictum, de subvehendo com-

commeatu, ſpernentes, intercipiuntur. Inde comitiis Calmariæ indictis, (1505.) cum Scotico & Brandeburgico legatis, Daniæq; & Norvegiæ Senatoribus, adfuit Jahannes, ſi novo forte Sveonas obſequio irretire poſſet. Verum, illis non comparentibus, Dani & Norvegi, perduellionis ſententiam, in Stenonem mortuum, Svantonemque protulerunt; quæ ut in Germania quoque rata eſſet, ab Imperatore impetravit Jahannes. Hac contumelia traductus Svanto, arctiori cum Lubecenſibus percuſſo fœdere, Blekingiam vaſtavit. *Severinus Norby* Caſtelholmum diripuit, Stenone Tureſon, cum conjuge, in captivitatem abrepto. Irritis inde, de pace tractatibus aliquot habitis, Ludoſiam in cineres redegit Danus, prædaque acta, domum revertit. Et Svanto, ut W-Gothiæ & Aboæ damna pari clade penſaret, Scaniam depopulatus eſt. Lubecenſes, imperatoris permiſſu, commercia per Codanum exercentes, Danus arripuit, & Travemundam 24 navium claſſe obſidens, onerarias naves, Revalia & Riga redeuntes, intercipit. Eam ob cauſam Dani Lubecæ, & in Dania viciſſim Lubecenſes, vadimonio detenti. Inde libera utrinque piratica, ditiones ultro citroque infeſtantur. Jahannem, quo Lubecenſes melius in ordinem redigeret, ita cum Sveonibus tranſegiſſe, ſua fide narrant ſcriptores Dani, ut ſolutis 13 millibus ſelibrarum (z) Holmenſium quotannis, bello abſtinerent. Lubecenſium claſſis, Bornholmiam populata, Calmariam adpulit: cui juncta Svantonis claſſis, Hemmingi Gaddi, qui prius in Danos acriter peroraverat, ductu, Blekingiam & Lalandiam miſere adflixit. Hic claſſianorum ſuborta conſternatio, præ-

N 3 fe-

(z) *Hanc pecuniæ ſummam ab Sveonibus petiiſſe Danum conſtat, ſed non impetraviſſe*, Meurs.

fectos Lubecam redire coëgit. Nostri interim Olandiam & Calmariam receperunt. Legati Moscovitici Holmiam adpellentes, pacem in 60 annos cum Svantone pepigerunt. (1510.) Lubecenses, inde rerum suarum satagentes, contra fœderis leges, pacem cum Dano, Sveonibus inconsultis, iniverunt. (1512.) Sed Svanto, postquam 8. annos regno præfuisset, decessit. Mox, de sufficiendo principe, in diversas sententias itum. Major senatus pars in *Ericum Trolle* propendebat. Erat enim & prudentia & morum atq; literarum commendatione conspicuus. Sed has prærogativas publicum familiæ odium, ob Danicæ factionis studia, destruebat. Eo igitur rejecto, Steno, Svantonis filius, regni moderator designatur. Jacobus, provectæ jam ætatis senex, interposita fide sua, Stenonis suffragium & commendationem Gustavo Trolle impetravit, pro suprema sacrorum Antistitis infula adipiscenda. Agebat tum Romæ Gustavus, ubi Stenonis literas ad Pontificem & pecunias accepit. Itaque, re ex sententia gesta, domum revertit. (1515.) Nec quicquam intermisit Steno, quo reversum honorifice exciperet. Sed frustra fuit omnis humanitas, apud hominem ambitiosum & odiorum pertinacem. Pluris enim parentis repulsam, quam Stenonis beneficia reputans, malum ipsi omnibusque adversariis minabatur, arcemque suam Stækam communiebat. Præter veteres simultatis causas, etiam ab Christierno Dano in reditu corruptum fuisse, fama tulit. Quod & verum fuisse, legatus Pontificis Anglus *Arcimboldus* confirmavit. Cum enim iter per Daniam haberet, nuptiisque Christierni interesset, operam ejus, in Sveoniæ regno sibi conciliando, exambivit, editis fidorum sibi nominibus, qui rem pro viribus essent promoturi. Per hunc Steno, quantæ essent Danicæ factionis vires, facile intellexit. Itaque,

que, cum inimica, in Stenonem, consilia amplius in occulto non essent, nec ulla via, ad saniorem mentem reduci, posset Gustavus, parentem ejus Ericum comprehendit Steno, (1516.) (1517.) ipsumque in arce Stækana obsedit; & quia fiduciam in Christierni auxiliis, propediem adventuris, collocabat, oblatam sæpius, per regni Senatum, reconciliationem respuebat. Christiernus, ut amico periclitanti, in quo non minimum moliminum suorum momentum repositum erat, quantocius succurreret, quater mille militum, ductu Johannis Trolle, Severini Norby & Caroli Canuti expedivit, qui, facta circa Holmiam exscensione, terrestri itinere Stækam petere decreverunt. Steno, tentata sæpius reconciliatione, frustratus, Danos prope Holmiam magna clade profligavit. Multi cæsi aut submersi; nonnulli capti fuerunt: qui ad naves refugere potuerunt, oram maritimam in *Tiustia* deprædati, domum redierunt. Archi-Episcopus, accepta per captivos auxilii clade, ex insolenti humilis, civilium negotiorum abdicationem, arcisq; deditionem, si sacrorum sibi dignitas reservaretur, obtulit. Sed cum responderetur, *impias & sangvine imbutas manus, sacris admoveri non debere; belli sibi gerendi potestatem, à Pontifice factam* adseruit; *ut ea propter homicida aut sangvinarius censeri non deberet.* Haud ignarus Steno, quantas turbas Romani Pontificis autoritas ciere posset, regni ordines Holmiam convocat, ad cognoscendam causam Archi-Episcopi, qui & ipse, fide publica, aderat. Censuere omnes, *Stækam, tot rebellium receptaculum, funditus diruendam; & Gustavum, ut perduellem & proditorem, dignitate sua in perpetuum exuendum:* Arcimboldi tamen intercessioni dederunt, ut in paternis prædiis libere degere posset. Huic edicto subscripsere omnes, literisq; invicem caverunt, de facto coram Ponti-

fice

fice defendendo. *Johannes* vero Brask / Lincopensis præsul, in chartula, ceræ suppressa, *invitum se subscripsisse*, in omnem eventum profitebatur. Stækam reductus Gustavus Trolle, invitis militibus, diu eam defendere non potuit; nec multum captivo dissimilis, in Monasterium Arosiense concessit. *Christiernus*, ut, aliquo juris prætextu, de Sveonibus vindictam exigeret, in gratiam Archi-Episcopi, apud Leonem 10. effecit, ut sacristitium per totum regnum imperaret, sententiæque executionem sibi demandaret. Eam in rem, instructa classe, Holmiam navigavit; (1518.) castrisq; in suburbio meridionali collocatis, urbem oppugnare cœpit. Pugna inde cum Stenonis militibus, ad Brenne-kyrckia / conserta, magnoque accepto damno, in naves suas se recepit. Diu tamen in ora maritima hæsit, ventis navigationem impedientibus. Quo fiebat, ut fame emaceratus miles, aut moreretur, aut transfugeret. Huc necessitatis adactus, pacis perpetuæ, inter regna conciliandæ, simulatione, Stenonem circumvenire instituit. Et hic, quietis cupidus, extrema necessitate laboranti hosti, commeatum gratis submisit. Ivissetq; ipsemet ad Christiernum invitatus, nisi pia civium intervenisset sollicitudo. Accepta interim publica Regis fide, *Gustavum Ericson*, *Laurentium Siggeson*, *Georgium Siggeson*, *Olaum Rynimg*, *Benedictum Nilson & Hemmingum Gadd*, Senatorii ordinis viros, misit, qui rem cum Christierno transigerent. Sed ille, egregius fidei suæ conservator, pacis simulatione proditos comprehendit, atque, ventis adspirantibus, in Daniam abvexit, tetri carceris squaloribus emacerandos. Insequenti anno, Pontificis edictum per Birgerum Lundensem, & Lagonem Urne Roshhildensem, promulgari fecit: Stenone, ceterisque brutum istud fulmen deridentibus. Brevi post, Christierni

Clas-

Classiarii Olandiam, cum arce Borcholmensi, in potestatem redegerunt, Calmariam etiam oppugnare adorti, à Stenonis militibus rejiciuntur. Majoribus, inde comparatis copiis, ductu Ottonis Crumpii, W-Gothiam corripuit. Cui ad Bogesund occurrens Steno, & inter primos promtissime dimicans, in femore vulneratur, sauciusq; pugna effertur. Ducis fortuna perculsum exercitum, non magno labore, disjecerunt Dani, & nemine prohibente, ad silvam Tiveden processerunt. Constiteruut ibi ad arborum concædem propugnatores aliquot, qui subeuntes Danos acriter propulerunt. Circuitu postea à captivis monstrato, illos cecidit, viamq; in Nericiam sibi aperuit Crumpius. Steno certior factus, Crumpium in Sveoniam usque penetraturum, Episcopum Matthiam, Magnum Green, & nonnullos alios Stregnesio, ad Gustavum Trolle, qui tum in Ekeholmen morabatur, misit, qui amicitiam inter ipsos reconciliarent, ne forte ad Danos rursus deficeret homo turbulentus, magnumq; sibi negotium facesseret. A quibus amice de hoc compellatus, *serio sibi displicere*, profitebatur, *priores simultates*, *malum illis imprecatus*, *qui istarum autores exstitissent. Majorem se, in posterum, erga Patriam & Stenonem, fidei & obsequii rationem habiturum.* Eadem fere die, qua hæc agebantur, Steno in itinere, Holmiam versus, ex vulnerum dolore decessit. (1520)

Caput XII.

TAm acerbo casu consternata patria, quid in hoc rerum articulo susciperet, incerta fluctuabat. Vires quidem & animorum alacritas, ad resistendum hosti, non deerant; sed, quia capite carebant, nec in commune consulebatur, cum viribus animi quoque conciderunt. Pro-

cerum plures, cum Stregnensi Episcopo Matthia, in curia Tônnelsjöö congregati, de rerum summa consultabant, nihil certi tamen expediebant, sententiis vel langvidis vel discrepantibus. Stenonis vidua *Christina*, quæ cum nonnullis procerum Holmiam se receperat, ad concordiam & patriæ defensionem hortabatur. Coiveratq; magna civium multitudo ad Illersund, in hostem duci promta: Sed, nemine Ducis partes subeunte, tam oportuna defensionis manus dilapsa est. Matthias igitur, & qui cum illo erant, de induciis cum Crumpio, qui Stregnesium sese penetraverat, agere cœperunt. Fide ultro citroq; data, comitia Upsaliam indicta sunt, pro pace stabilienda. Convenere illuc non pauci, in iis Gustavus Trollo & Otto Crumpius. Stenonis vidua cum suis, quamvis interpellata, conventui isti interesse recusavit. Igitur ceteri rerum anteactarum oblivionem, vitæ & fortunarum securitatem, immunitates etiam, jura atq; Privilegia, sibi salva, ab Crumpio pacti, Christierno fidem & obsequium addixerunt. Quicquid Crumpius regis sui nomine promiserat, Christiernus largissimis suis literis amplius confirmavit. Conciliatis sic regi suo plerorumque procerum animis, cum tribus millibus militum Holmiam propius accessit Crumpius, ut Christinæ animum pertentaret. Internuntiis aditu urbis prohibitis, atque etiam à Magno Green, tormentorum explosione, abactis, consilio suo frustrati Sveones, domum quisque suam redierunt. Crumpius vero, intellecto, naves aliquot Holmensibus subsidio venturas, in ora maritima hærere, nec opinato eas adventu capere cogitabat. Sed Navarchi, ad rerum subita non imparati, navibus in profundiora deductis, sui adeundi facultatem non dederunt. Mille interim & quingentorum militum supplemento auctis copiis, commeatuq; deficiente, militem

per

per præsidia collocavit, Arosiæ, Stregnesii pluribusque aliis locis; ipse, cum majoris exercitus parte, Upsalæ, veris oportunitatem operibatur. Qui Christinæ adhæserant, suum in Patria adserenda studium neutiquam intermittentes, præsidia, quaqua potuere, vexare & cædere. Itaque malo suo cautiores, qui Arosiæ hibernabant, Upsalam se recipere festinabant: Sed in itinere, ad Balingsâhs, à supervenientibus agricolis cæsi, suorum plurimos desiderarunt. Inter hæc Lambertus Matthson, collecto ex agris tumultuario milite, Crumpium Upsalæ adoriri ausus est: Equitesque ejus per nivis lubrica lapsabundos plerosque stravit. Fuissetque deletus Danus, si militarem disciplinam calluissent ruricolæ: Sed cum pars, ad diripiendam prædam, discurrerent, ceteri tumultuario rem agerent, circumventi centeni aliquot perierunt. Triginta militum millia in exercitu Lamberti fuisse, & ex iis viginti millia cæsa, fide sua narrat Meursius. Crumpii miles, qui octo millia non excedebat, dimidiam sui partem desideravit. Si quatuor exercitæ militiæ millia fuissent, liberari facile patria potuisset, in tanta Civium adversus hostes conspiratione. Ineunte vere (1520) Christiernus cum classe sua Holmiam venit, una secum ducens Theodorum, Lundensem Archi-Episcopum, & Johannem Ottoniensem, quos sævitiæ consiliarios & ministros sibi delegerat. Adcurrit mox Crumpius, cnm aliis, qui Upsalæ hibernabant. Gustavus Trolle, Matthias Stregnensis, ceterique omnes, qui Crumpio fidem dederant, ad regem in castra advenientes, gratiose excipiuntur, omniaque, quæ prius eis addixerat Crumpius, regio juramento confirmantur. Holmenses, quantumvis arcte undique obsessi, omnem cum Christierno pactionem renuebant. Et per provincias hinc inde concitatæ agricolæ, plurima damna Dano, eisque, qui

in partes ejus transiverant, intulerunt. In tantis turbis, anno insuper ad autumnum vergente, certum sibi periculum imminere videbat Christiernus, nisi cum Holmensibus transigere posset. Igitur procerum Sveonum opera, tandem præcipuos in urbe ad suas partes pertraxit, ceteris negotium aversantibus, quod nulla necessitate premerentur. Sed sic fata fuerunt, ut, qui saniora videbant, eis obsequi deberent, qui in exitium ruebant. Igitur cum omnium vota promissis superasset, faustis acclamationibus, in urbem inductus est, rebusque pro tempore ordinatis, in Daniam navigavit. Mox reversus, in publicis regni comitiis, inaugurationis suæ solemnia peragebat. Extructo in monte Brunconis pegmate, *Christierni* nomine, ad ordines concionabatur Ottoniensis, & non unum, regni adeundi jus ejus adstruebat, acriter in illos invectus, qui istud intervertere annixi fuerant. Istis peractis, in templo majori Coronam regiam imposuit Gustavus Trolle Archi-Episcopus, postquam regni ordinibus, *de jure, privilegiis, vitæ & fortunarum securitate*, cavisset, regiumque jusjurandum, sacra Christi cœna, confirmasset. In ista celebritate, nobiles aliquot Danos equestri Cingulo donavit, nulla in Sveones propensione, quos alio munere mox excipere decreverat. Aderat etiam *Caroli Quinti* legatus, qui coronato aureum vellus circumposuit, atque in societatis Burgundicæ fœdus recepit. Ad lætitiam publicam nihil deerat, & omnia fausta sibi imaginabatur credulorum simplicitas. Sed præcox nimis gaudium illud fuit, & multis postea lacrimis defletum. Christiernus quippe, compositam diu sævitiæ suæ Tragœdiam exhibiturus, secreto cum suis consultabat, quemadmodum commodissime Sveonum præcipuos exscindere posset. *Militarem tumultum excitandum*, svadentibus nonnullis,

Sveo-

Sveonas etiam arma rapturos, & anceps Danis periculum allaturos, reposuere alii. Convivium tandem fieri placuit, ut, inter hospitalis mensæ sacra securi, circumvenirentur. In arcem itaq; invitatos, instantis cladis ignaros, laute per duos dies excepit. Tertio die, ex composito surgens Gustavus Trolle, querula oratione calamitatis suæ seriem exposuit, regiamq; vindictam imploravit, ut de vi & damnis acceptis sibi satisfieret. Christiernus, qui aliorsum hæc accepit, præferri mox Lundensis & Roschildensis pridem latam sententiam in Stenonem, ceterosque participes jubet. Igitur Christina, quæ hac sententia maxime gravabatur, prolatis senatorum & ordinum literis, quibus Gustavum ordine movendum, arcemq; Stækam diruendam censuerant, sese excusare nitebatur. *Braskius* vero, cum, quorsum res evasura esset, facile perspiceretur, aperiri seram suam jubet, ad innocentiam suam contestandam. Irrita jam omnis, datæ toties fidei, obligatio erat. Nihili jam reputabantur tot horribilia juramenta, quibus divinam sibi vindictam imprecatus erat toties Christiernus, ut Sveonas in jure suo, vitæ atq; fortunarum securitate conservaturus esset. Perfidia, sævitia & humanus furor sæva omnia inculcaverat. Nicolao Bilde, Palatii præfecto, mactandorum catalogus conficiendus mandatur; qui inermes & pavidi, per lictores & carnifices in vincula rapiebantur. *Octavus Novembris dies* mactationi & lanienæ destinatus erat. Clausæ urbis portæ, satellitum præsidio conspectiora loca insessa, cives extra domos suas exire prohibiti, cuncta ad terrorem ordinata fuerunt. Circa meridiem aperta arce, captivi producuntur, inauditi, injudicati, sed tamen morituri. Cum in forum, supplicio destinatum, pervenissent, cervices percussori præbituri, sacerdotis sibi copiam fieri supplicarunt, ut delicta sua

confeſſi, expiatiq́, majori ſolatio morerentur. Sed tantus ſævitiæ furor erat, ut animam etiam interficere cuperet, denegato illo, quod, ultima exempla promeritis, ultro indulgeri ſolet. Nicolaus Lycca & ceteri, Tyranni præcones, civium conſternationem & pavorem, falſa oratione, mitigare laborabant; *Regem enim, primarii regni Antiſtitis lacrimas negligere, non potuiſſe, qui ter genu flexus, juſtitiam ejus imploraverat.* Sed *Vincentius Scarenſis*, ceteriq́ calumniatoribus in os mendacia ſua retorſerunt; multaq́ de innocentia ſua, & Tyranni crudelitate, libero ſpiritu protulerunt, divinam ultionem ipſi imprecantes. Tum circumſtantes Sveonas admonebant, *ut periculo ſuo cautiores, Danorum perfidiam & belluinam feritatem abhorrere diſcerent; Et falſis eorum promiſſis & lenociniis ſe circumveniri non paterentur.* Primus carnifici ſuccubuit *Matthias Stregnenſis* præſul: trunco decuſſum caput ejus ad pedes reponebatur; ob viri, ſcilicet, merita, qui ceteris omnibus plus unus laboraverat, in regno Chriſtierno conciliando. Poſt ad infamem ictum ſe demiſit *Vincentius Scarenſis* Antiſtes, tum ex *Senatorio & procerum* ordine, *Ericus Abrahamſon*, *Ericus Knutſon*, *Ericus Johanſon*, *Ericus Ryning*, *Ericus Nilſon*, *Eſchillus Nilſon*, *Joachimus Brahe*, *Magnus Green*, *Ericus Ruſe*, *Olaus Biörnſon*, *Gunnarus Galle*, *Benedictus Ericſon.* Inde *conſules tres*, *conſiliarii urbani quatuordecim & honoratiores quique cives 94*, carnificis manu iſta die ſtrata fuerunt. Satellites quoque, in cives irruentes, obvios quosque trucidarunt. Continuata etjam per ſequentes dies laniena fuit; ſed obſcuriorum ſupplicia certo numero haud definita. Cruces, patibula, ſpoliaria vix capiendis cæſorum exuviis ſufficiebant. Cumq́ in tenebris multi adhuc deliteſcerent, promulgato impunitatis edicto, temere creduli prodeunt, à lictoribus mox cor-

corripiendi. Cum ita hominum solitudinem fecisset, bona ipsorum, tanquam sectionem, involavit. Viduæ & pupilli, maritis & parentibus orbati, ad ultimam miseriam redigebantur. Interfectorum corpora, in sangvine tertium jam diem natantia, ubi fœtore aerem infestare cœperunt, in suburbium meridionale trahebantur, ut infami pyra cremarentur. Pœna, scilicet, maleficis, & diris Pontificiis devotis, promerita; tales tamen non reputabantur, cum Christierno sceptrum & coronam contulerunt. Stenonis exuvias, sepulcro suo erutas, & jam pene putrefactas, priusquam cremarentur, morsu laceravit Christiernus, inaudita hactenus in humanis belluis feritate. Si vivum cepisset, crudeliori, quam Johannem Magnum, supplicio mactasset. Nudus is cruci affigebatur, cumq; inter tormenta patriæ calamitatem defleret, abscissis pudendis, os everberabatur, diductoque pectore, evulsum cor in mortui faciem illidebatur. Atq; hæc omnia in Holmensi theatro repræsentata, in ipsa novi principatus festivitate, ut grato, scilicet, aliquo munere civium animos demereretur. Prætores ejus & Præfecti, per provincias, Domini sui facinora æmulabantur. Et suam Finlandia Tragœdiam habuit. Mactati ibi fuerunt, *Hemmingus Gadd*, si quisquam alius, patria dignus civis; *Achatius Jöranson*, *Antonius Ericson*, *Nicolaus Eschilson*, pluresque alii, non infimæ nobilitatis viri. Post hæc imperandi rudimenta, animum ad ordinandam Rempubl. adjecit. Johannem Bellenachium Ottoniensem, Stregnensi Episcopatui præfecit. Theodorum vero Lundensem Scarensibus præsidere jussit. Constitutis ubiq; prætoribus Danis, arma rusticis adimere cœpit. Licet enim salis donativo eos deliniverat, invalidum tamen illud beneficium, adversus injurias, futurum videbat, si exulcerati animi, novis gemitibus, novis in-

indignitatibus irritarentur. *Christinam*, Stenonis viduam, cum multis aliis matronis & virginibus, captivas in Daniam misit; ubi plures, tetro carceris squalore, enecatæ fuerunt. Ita, postquam nihil sacri aut profani superfuit, in quo crudelitatem suam nobilitare posset, Deo hominibusque invisus, in Daniam terrestri itinere recedere decrevit, quoad perpetrati sceleris infamia, ipso tempore mitigaretur. Regni interim administrandi curam, Theodoro Lundensi commisit. Arte sua *Tonsor* is fuerat, circumforaneoque squalore vitam tolerans, Italiam etiam oberraverat. Inde Sigbritæ commendatione Christierno acceptus, sceleris & flagitiorum ingenio ceteros omnes anteivit. Legatione, ad Pontificem Romanum, Domini sui nomine, defunctus, Lundensem Archi-Episcopatum tulit. Nec aptior alius, qui, in jugulandis Sveonibus, Tyranno consilia & manus suppeditaret, navatæq; operæ præmium, Scarensem Cathedram, regniq; præfecturam acciperet. Hic tandem, in Daniam profugus, vindicem Dei iram effugere non potuit. Cum enim Tyranni sævitiam, sua crudelitate, fatigasset, non minus jam per easdem artes invisus, quam quondam potens, jugulo funibus innexo, manu carnificis per patibulum raptabatur. Inde vivus in rogum injectus, suffocante flamma, sceleratam atque impiam animam libere effundere prohibebatur. Christiernus, itineri suo intentus, quaqua transiit, crudelitatis suæ vestigia exstare voluit. In eo tamen commendandus, quod Sudercopiæ, impietatis suæ satellitem, Claudium Holst, in eo ipso patibulo, quod Sveonibus erexerat, suspendi fecit. Wadsteni Svenonem Hööf & Petrum Fabrum, quadrifariam dissectos, rotis imponi imperavit. Junecopiæ Lindormum Ribbing, cum duobus ejusdem sangvinis infantibus masculis, carnificis manu stravit. Devotus

votus inde & religiosus, cum in Nydalensi monasterio sacris interfuisset, Abbatem cum Monachis, in profundum præcipitari fecit. Abbas vero, ruptis brachiorum vinculis, enatans, jubente rege, crebris stipatorum ictibus confossus, fundum & ipse petiit. Ultimum hoc sævitiæ ejus monumentum fuit, Gothico sangvine inscriptum. Mox enim, ab utroque regno proscriptus, in Germaniam, inde in Belgium concessit: Norvegiam postea exercitu petens, infidisq; Danorum pactionibus in potestatem redactus, post 27 annorum captivitatem, in carcere tandem misere obiit. (1559)



EPITOME HISTORIÆ SUIO-GOTHICÆ.

LIBER TERTIUS.

Caput I.

PEr ſæva hactenus, & luctuoſa Patriæ tempora, rerum ſeriem deducenti, vix verba reperire erat, ad tantorum ſcelerum horrorem memorandum: ita crudeliter dominantium furor, lingvæ non minus, quam animo, ſtuporem incuſſerat. Jam, poſtquam propitium numen, calamitatibus hiſce intercedere, noſtriq; miſereri voluerit, per lætiora Guſtavidarum auſpicia, alacri ac promto magis, animo decurrere licebit. Quamvis ad meliora indigenarum imperia, exterorum ſævitia & tyrannis non parum contulerit. Niſi enim, uno ictu, eorum cervices præſcindere voluiſſet Chriſtiernus, qui importuno contentionis ſtudio, ſe & patriam perditum ibant, omnes tandem, lenta Tyrannide, periiſſent. Sed, qui funeſtæ tragœdiæ ſupererant, malo ſuo cautiores, perniciem, quæ ab externorum regum dominatione imminebat, conſenſu mutuo antevertere, &, damnata exitioſa illa, trium regnorum, unione, è ſuis regem capere didicerunt. Ita, divino auxili-

xiliante numine, res patriæ, propemodum desperatas, in integrum rursus restituit Gustavus Ericson. Is pacis, inter avunculum Stenonem, & Christiernum conciliandæ, minister, cum pluribus aliis, senatorii ordinis viris, contra fidem publicam & jus gentium, captus, in Dania asservabatur. Sed custodia sua elapsus, Lubecam primum, inde, juvante consule Nicolao Bröms, onerata nave, Calmariam venit. Et, iter per *Smalandiam & O-Gothiam* habens, agresti cultu, quærentium insidias vitavit, salvusque Paternos lares attigit. Hic delitescenti, ubi Holmensis laniena innotuit, animi anxius in solitudinem montium Borealium concessit. Ibi quoque damnata manendi spe, domum revertit. Sed, quia nusquam securo esse licebat, ad Dalekarlos ivit, suamque & Patriæ calamitatem, coram illis, deflevit: *Alberti, Margarethæ, Erici, & Christiernorum* Tyrannide, non sine lacrimis, commemorata, *Engelbertum* inde & *Dalekarlos*, qui *Ericum Pomeranum*, & sceleratum ejus satellitem *Jusionem Ericson*, ex publicis cervicibus dejecissent, ut Patriæ ac libertatis vindices, laudibus in cœlum tulit. Sed jam rursus, tantis cladibus & calamitatibus, oppressam esse patriam, ut, nisi quid opis & auxilii, in illis reperiretur, actum plane sit, de salute & incolumitate omnium. Hæc concionanti, supervenit *Laurentius Olai* filius, veteranus miles, & Stureis ob servitia commendatus. Christiernum is regnum circuiturum adfirmavit, edicto publicato, ut commeatus in adventum ejus providerentur, crucesque & patibula vicatim erigerentur. Igitur *Dalekarli*, haud ambiguo malo conterriti, Gustavo se permisere. Lectis ille pro tempore militibus, *Arosia* & *Upsala* Christierni præsidia expulit. *O-Gothia* deinde, & *Smalandia*, *Arvidi Wes-Gothi* opera, hosti extorsis, Principis titulum & honorem

in *comitiis wadstenensibus* inivit. (1521) Hostili adhuc præsidio insedebatur Holmia; ad quod expellendum, Lubecenses naves aliquot suas elocaverunt. Obsessis cum indies arctiora omnia fierent, auxilio veniens *Severinus Norby*, novo supplemento obsidionem rupit. Igitur *Gustavus*, novo militum delectu habito, acrius urbem oppugnare aggressus est. Potuissetque Severini classem, glacie constrictam, in potestatem redigere, si mercenariis Lubecensibus mansisset fides. Holmenses tandem, ad extrema redacti, deditionem fecere: & Lubecensibus, quo patientius solutionis moram ferrent, immensa privilegia concessa sunt: tum & Ecclesiasticorum reditus, in militum Germanicorum stipendia, erogati. De *Gothlandiæ*, Severino extortæ, *jure*, inter Gustavum & Fridericum Danum, Malmogiæ acriter disceptatum. (1524) Et eo tandem deventum, ut civitates Anseaticæ, arbitrio suo, litem istam dirimerent. Eam in rem, cum Hoyensi comite, Lubecam missus Johannes Magni Archi-Episcopus. Verum, Danis ad vana effugia dilabentibus, Bernhardus von Melen Gothlandiam prodidit, (1525) scelerisque deprehensus, arcem Calmariensem, fidei suæ commissam, contra Gustavum defendit: quæ tamen, brevi post, in principis irati devenit potestatem, fuga sibi consulente illo, qui perfidiæ pœnas dare debuisset. Severinus totam Blekingiam, in Christierni fidem, adigens, collatis cum Ranzovio signis, quinque millia è suis desideravit. Tandem Selburgensi præfectura donatus, Gothlandiam in potestatem Friderici transdedit. Circa hæc tempora, docti quidam ex Germania redierunt, qui Wittebergæ *Luthero*, *Philippoque* præceptoribus usi fuerant. Inter eos præcipuus Magister *Olaus Petrejus*, collectis discipulis, Romanæ superstitionis vanitatem, & crudele in animos imperium edisseruit. Ista concionantes libenter audi-

audivit Gustavus, delectarique cœpit doctrina, nova quidem, sed tamen, ut putabat, a sanitate non abhorrente. Re itaque cum Cancellario suo *Laurentio Andreæ* communicata, publice etiam doceri præcepit, multum tumultuantibus Romanæ religionis Episcopis. *Johannes Magnus*, primarius regni Antistes, serio jussus ab Gustavo, omissa inani ceremoniarum & superstitionis pompa, sacra Biblia in maternam nostram lingvam transferre, ut indocti etiam, sancta Dei oracula, absque commentorum & traditionum involucro, perciperent: inveterati erroris pertinax, rebus convasatis, Gedanum, inde Venetias atque Romam concessit. Ubi, edita de rebus Patriæ & Gothorum gestis historia, in claustro Monachorum miser & pauper tandem obiit. *Petrus* Sunnanwäder Arosiensis, & *Canutus* Archidiaconus, sceleris convicti, Dalekarlos ad rebellionem, concitarunt. Holmiæ etiam *Anabaptisticæ* consternationis furor exarsit, autoribus *Knipert Dolling* & *Melchiore Ring*, Germania cerdonibus. Sed, turbatoribus regno proscriptis, animorum quies rediit. Monachos etiam, ut ignavos & publico graves, claustris suis ejicere volebat Gustavus; sed, renitente plebe, non potuit: prædia tamen eorum nobilibus divisit, ut pro iis reipubl. servirent. Et ex Ecclesiasticorum bonis atq; decimis, ærarium militare constituit. Petrus Sunnanwäder & Canutus, perduellionis crimen, capite luerunt. Mox juvenis quidam, nequitiæ compertissimæ, Stenonis Sture se filium ferens, fictis lacrimis & obtestationibus, Dalekarlos ad rebellandum impulit.

Caput II.

POenituit Gustavum, imperium, invidia, seditionibus & ære alieno grave, in se recepisse. Ideoque exhi-

P 3 bito

bito rationario; *reddere se illis invidiosam potestatem* adfirmavit, *quam & suis ingratiis, & multis invitis tenuisset.* Excepit Braskius, Episcopus Lincopensis, *non posse se regi in tantum concedere, ut, prætextu Reip. defendendæ, Ecclesiæ bona prædonibus gratificaretur.* Idem Thuroni Jönson, præfecto prætorii, aliisq; visum. Tum iratior Gustavus: *non miror*, inquit, *inconditam plebem insanire, cum tantis autoribus imitatur. Hæc est gratia, qua labores & solicitudines nostræ compensantur. Manibus pedibusque in commodum vestrum nitimur, pro eo hoc lucramur, ut ferrum, visceribus nostris impressum, libenter cernatis, sed ipsi manum admovere non sustinetis. Pro nostris vigiliis & curis, quicquid est Monachorum, larvarumque Romani Pontificis, in caput nostrum arcessitis. Sic ne ipse Diabolus imperium in vos cupiat. Recipite illud vobis, &, in quemcunque vultis, transferte. Ille melioribus auspiciis, vestrisque faventioribus gratiis imperet. Fundos nostros & hæredia gentilitia, impensasque in publicum factas, solvite; in nobis mora non erit, quin patriam continuo relinquamus.* Atq; ita commotus, in arcem (Arosien.) recessit. Torpebant omnes tristi silentio, nisi quod Cancellarius, in commune consulere, hortabatur. Sed, omnibus timore aut ira perturbatis, re infecta discessum est. Pari dissensione, postera die laboratum, donec audirentur voces, in commune consulere jubentium, aut viam se inituros, qua contumacia ista frangeretur. Ceteris ad ista silentibus, *Magnus Sommar*, Stregnensis Episcopus, per Deum obtestabatur, *ne salutem publicam destituerent. Truncum fore regnum, capite destitutum. Aut Gustavo igitur satisfaciendum, aut alium eligendum regem. Hoc periculis fore plenissimum, nec quidquam magis præsentibus convenire rebus, quam à* Gustavo *rege. Se quidem* Thuroni *gratias agere, quod*

Eccle-

Ecclesiasticorum commodis tantum studeret: sed non tantum illis tribuendum, ut fortunæ universorum proderentur. Placuit viri consilium, missique, qui suppliciter ab Rege veniam impetrarent. Et semel iterumque rejectis, magna omnes desperatio incessit. Tandem lacrimis omnium dedit, ut imperium retineret. Decretum tamen, ut maligni rumoris auctores capitis pœna coërcerentur: Episcoporum fastus reprimeretur: bona Reip., obtentu religionis alienata, restituerentur: Religionis controversiæ placide componerentur: Episcopus presbyterorum hæreditates non caperet; nec illis, nisi secundum leges, testamenti faciendi jus esset. In forensibus negotiis civili magistratui, in iis, quæ officium suum concernerent, Episcopo subessent. Monachi, pro stipe colligenda, discurrentes, pravorumque rumorum ministri, intra claustra sua cohiberentur. Ita reconciliata gratia regnum solemniter iniit;(1528) nobilium compluribus Equestri dignitate ornatis. Hinc in Dalekarlos profectus, cum quatuordecim legionibus, male quietam nationem, ad obsequium redegit. Tum & gravissimam annonam, importato ex Livonia frumento, sublevavit. Dalekarloruum turbas, novus in W-Gothia, tumultus excepit. Perduellionis societatem iniverant præcipui nobilitatis viri, autore *Turone Jönson & Magno*, Scarensi Episcopo. Multitudine tamen flagitium execrante, conjurationis globus dissipatus fuit. Turo & Magnus in exilium ivere: *Magnus Brunteson, Nicolaus Olufsson, & Turo Ericson*, quod scelus inficiari se posse confidebant, remansere. Sed literæ, astu Johannis Wåsthals subductæ, proditoribus exitio fuere. Offerebat delictorum gratiam Gustavus, si, damnata contumacia, clementiam suam experiri vellent. Sed ad innocentiam suam provocantibus, literæ mox & cruces repræsentatæ

[L] fue-

fuerunt. Nihil è re magis Patriæ erat, quam ut debita Lubecensibus persolverentur, quorum magnitudo & increscens fœnus regnum adfligebat. Igitur, in tanta pecuniæ angustia, decimæ, cum una campana, singulis Ecclesiis detractæ. Ingens hoc Dalekarlis piaculum, & armis vindicandum. Valuissetque ad impietatem superstitio, nisi in ipso apparatu fuisset oppressa: Conjurationis proceres, ad terrorem increscentis audaciæ, armatis circumdedit Gustavus: causis tumultuandi infensius exquisitis, *satis diu patientiam suam ab eis delusam. Hunc congressum audaciæ, aut vitæ, finem impositurum.* Multitudo Regis irati concionem, suppliciter flexis genibus, per totum diem accipiebat, eoque severitatem ejus mitigabat, servata in eos ira, qui autores fuerant tam nefandi consilii. Commerciorum libertatem per regnum suum Hollandis concesserat Gustavus; (1533) quæ res Lubecensibus non parum lucri intervertit: Bellumque eapropter in ipsos decrevere; &, auxiliis à Gustavo frustra petitis, naves mercesque Sveonum, in portu suo deprehensas, publicarunt: exprobrantes, *se Gustavum in solium regium collocasse, nec minus facile ex isto fastigio dejicere posse.* Quasi auxilia, ad Christiernum profligandum, collata, non æque ipsis protuissent; & Gustavus, in Severino compescendo, paria non retulisset! Rem ibi gessit Marcus Meyer, ex fabro tribunus, mox Eques & Consul, qui omnia inquietis consiliis miscuit. Svantonem Sture, in aula Lavenburgica degentem, callide in insidias perductum, ad bellum, Gustavo inferendum, cogere nitebatur, facta spe paterni principatus. Nefas aversantem, in custodiam misit, literasque proditorias, annulo adulterino subsignatas, in Sveoniam perferendas curavit. Hoijensem Comitem, affinem Gustavi, pellicere potuit, qui postea belli dux, contra

tra Christiernum, Daniæ regem, Teclenburgio, & Archi-Episcopo quondam, Gustavo Trolle, in Fionia pugnans, cecidit. Christophorus Oldenburgicus, juvantibus Lubecensibus, magnam Daniæ partem in potestatem redegit, seque ipsum Roschildis regem creavit. Ideoq; Christiano Holsato, regi legitimo, in tantis periculis constituto, terra marique auxilia tulit Gustavus, argento etiam, in militum stipendia, juvit, Scania ad obsequium ejus redacta, & dissipata classe Lubecensium. (1537) Victis Oldenburgico & Lubecensibus, Holmiam venit Christianus, & pro auxiliis pecuniariis, Vichiam Gustavo oppigneravit. Accepta pecunia, cum Vichiam tradere nollet, suspensis armis, graviter de injuriis expostulavit Gustavus, quod tot beneficiis affectus Christianus, tam parvam gratiam referret; Cives Sveonas violaret; nobilium Sveonum hæredia, in Dania, injuste detineret; famam suam, apud Germaniæ principes, sugillaret; suam regniq; causam ubique deprimeret; pacem cum Lubecensibus, contra datam fidem, se excluso, iniisset; debitum nec solveret, nec pignus traderet; profugas foveret; pacta & promissa, literis ac fide publica firmata, violaret. Quibus expostulationibus tantum effectum est, ut 31098 Uncialium Ludosiæ persolverentur. Urgebant & Lubecenses, ut solutionem atq; privilegia sua reciperent: ab illis vicissim postulatum, ut damna & belli impensas resarcirent. Itaq; petitionis suæ irriti, percussores in Gustavum subornant: sceleri manus commodaverant mercatores quidam Teutonici, qui nitrati pulveris dolium, sub sede regia in templo Holmensi majori, reconderant, regem, sacris intentum, parricidiali fulmine exstincturi. Re tamen, per temulentiam conscii cujuspiam, prodita, de parricidis supplicium sumtum. Paucis interjectis annis, ingens in Smalandia tumultus, (1541)

Q à Ni-

à Nicolao Dacke concitatus est; qui, ob scelera sua, in grandem mulctam condemnatus, & solvendo impar, aliis nebulonibus sociatus, latrocinia primum, mox bellum agitabat. Rebellionem istam, quantum potuere, viribus instruebant Albertus Mechelburgensis & Fridericus Palatinus, gener Christierni; qui, ut in regnum, quod uxoris nomine ambiebat, induceretur, Caroli Quinti auxilium imploravit: Perenottus Granvellanus, secretorum Imperatoris arbiter, literis & promissionibus, Sveonas in fidem Friderici sollicitabat. Ipse Fridericus Dackium, nobilitate & insignibus gentilitiis collatis, ceteros promissis regalibus animabat. Grassans hoc incendium, per partes extinctum est, latronibus partim in fidem receptis, partim in furcam actis. Ipse Dackius, è Blekingia oriundus, dissipatis sociis, debilitatus, avia sequebatur. Et quamvis in sui securitatem vigilantissimus, ictu tamen sclopi trajectus, mortuus in potestatem venit. (1543) Corpus ejus rotis Calmariæ impositum, capite corona ænea, in ludibrium expetiti principatus, coronato.

Caput III.

AD hoc usq; tempus, inde à prima regni origine, Reges capere, quam natos adorare, solebant majores nostri; &, quamvis liberis suffragiis, virtutem & merita cujusq; legebant, magna tamen semper regii sangvinis fuit commendatio, nisi vitiorum aliqua turpitudo interveniret. Ita, in Divi Erici posteritate, per ducentos circiter annos, regius honos continuatus: Foris etiam O-Gothis *Amali*, W-Gothis *Balti*, præcipui fuerunt, Tanta itidem Gustavi, in Patriam & Remp., merita fuerunt, ut, usitato hactenus præmio, compensari non possent. Itaque ci-

ves,

ves, ut grati animi sui monumentum ad posteros extaret, regnandi jus gentilitium fecere (Orebrogiæ 1539. Arosiæ 1544. & Holmiæ 1560) ita ut, in primogenito ejusque stirpe, successionis jus continuari deberet: Ea deficiente, in jus adaptaretur secundo genitus, cum sua familia, & ita porro. Proceribus obligationis formulam, hunc in modum præivit Rex: *Ex potentia, nobis atque successoribus nostris divinitus data, ab hærede in hæredem, Nos regnandi hunc justitiæ gladium extendimus, quem tangentes, sic jurate: Pollicemur Gustavo, potentissimo Domino, ejusque filiis hæredibus fidem, obsequium, reverentiam, in edictis & sanctionibus, pacis bellique temporibus, nec ulla unquam necessitate cogente, ab illis descisćemus; Sed, in prosperis adversisque, vitam mortemque cum illis communicabimus; commoda eorum procurabimus, damna avertemus, omnesque in jure suo conservabimus, sicuti, genuflexi super hunc gladium, ex anima juramus.* Primogenitus Ericus, sceptro destinatus, ipsis Idibus Decemb., Anno 1533, astrorum sinistro adspectu, editus fuit. Hortabatur Astronomus, ut, flexis genibus, pariendi horam differrent. Isto enim momento natum, regno exitiabilem futurum. Dicitur & in utero vagiisse. Per indubitatam hanc regii sangvinis successionem, Danos, à Sveonum sceptro, æternum exclusos, videns Christianus, tres coronas, regni Sveoniæ insignia, sibi usurpare cœpit; ut vel sic aliquam prætextus umbram retineret, multum indignante & expostulante Gustavo. Nec deerat calliditati fucus, quod non Sveoniæ insignia, sed unionis, inter tria hæc regna, symbola essent, tres istæ coronæ. Quem fucum, Historiarum suarum picturis, illinere non erubescunt scriptores Dani: (Pontan.) secure insuper fingentes, tres fluvios, Sveonum ab antiquo insignia fuisse. Quam apertam autem veritati vim inferant,

is facile judicaverit, qui reges noſtros, multis ſeculis, ante perniciofam illam trium regnorum unionem, coronas iſtas, pro ſublimitatis & celſitudinis ſuæ armis, geſtaſſe, ex publicis monumentis conſpexit. Sicuti Gothi, Leonis erecti coronatique ſignum, tria flumina ſuperſilientis, ut potentiæ & fortitudinis argumentum, præferebant. Nam de fluminibus iſtis quod communiſcuntur Dani, nemo majorum noſtroruum tam delirum ſomniavit ſomnium. Ex parvis initiis acre ſatis cum Moſcho bellum conflatum eſt: (1555) accolæ quippe, ſibi invicem graves injuriis, mox armis inter ſe certavere. Poſt varias tandem impresſiones, hoſtili exercitu quadraginta millium fuſo, pace compoſitum fuit. Hinc de matrimonio, inter *Ericum* & *Elizabetham* Anglam, ſuſcepta deliberatione, legatio Principi Johanni decernitur; expugnato prius, per deſiderii impatientiam, parentis Guſtavi animo, licet nuptias iſtas non ſatis probaret. Johannes, ſplendide procando, cum nihil intermiſiſſet, quo fratris amorem promoveret, lubrico accepto reſponſo, ſextum poſt menſem revertit. Præceptor vero Erici, & juxta legatus perpetuus in Anglia, Dionyſius Buræus, Gallus, magnam auri vim ibi profudit, principis ſui magnificentiam, ambitioni propriæ, jungens, & luxuriæ damna, ad ſolos Sveonas redundatura, parvi pendens. Tandem ætatis & imperii onere lasſus, teſtamentum ſuum, in publicis comitiis, Holmiæ (1560) condidit Guſtavus: in quo, commemoratis priorum temporum calamitatibus, ſingularem Dei favorem, in regimine ſuo, & purioris religionis reſtitutione, adprobatum, veneratus eſt. Deo igitur ſe animam ſuam commendare, cum maturum foret hinc diſcedere; terræ exuvias, idque Upſalæ, in templo majori: Primogenito *Erico* ſceptrum, ſolium & coronam relinquere, ſi ſanctum Evange-

lium

lium tueri, fratres, sorores & cives fraterno amore & gratia prosequi vellet: *Johanni* Finlandiam, *Magno* O-Gothiam, *Carolo* Sudermanniam, Vesmanniam, Nericiam & Vermelandiam, ut eas à fratre Rege recognoscant, regnoque auxilio sint, se legare; omnibus vero cautum velle, ut, deficientibus hæredibus masculis, bona immobilia ad hæredes proximos transeant: Principatus vero & ditiones, singulis attributas, à regno divelli, oppignerari, aut quovis modo alienari, non debere. Principes, de rebus, totum regnum concernentibus, suo arbitrio, sine consensu publico, nihil quicquam decreturos. Filias, non elocatas, in fratrum potestate futuras, regio tamen splendore educandas, elocandasque; eis se, dotis nomine, præter chimelia, mundumque muliebrem, centies mille talerorum adsignare: concordiam inter fratres, & sanæ religionis desiderium, immortale esse debere: subortas lites, à domesticis arbitris componendas, nec ullum peregrinum forum experiundum: scholis & xenedochiis, magnam pecuniæ summam legatam velle. Solemne hoc testamentum suum, rite conditum, Ericum, in Angliam abiturientem, confirmare adegit; monitum, ne quicquam ibi decerneret, quod regno suo incommodaret. (1560) Ad diem tertium calendas Octobris, valetudine correptus decessit, postquam 39 annos regno præfuisset, vixissetque septuaginta. Itaque ex itinere revocatus Ericus, cum fratribus funus regium procurabat, quod, una cum duarum uxorum exuviis, conditorio regio Upsalæ illatum est: incredibili civium desiderio, qui patriæ defensorem, vindicem, patrem ab oculis suis removeri querebantur. Nec viderunt priora tempora talem regem: regnum enim ex afflictissimo & turbulentissimo, florentissimum atque pacatissimum post se reliquit. Domi tu-

multuavit W-Gothia, inde Dalekarlia, hinc Smalandia: foris Christierni factiones in perniciem ejus incumbebant: hostilia machinabantur Lubecenses; vim inferebat Moscus, regno imminebat Palatinus & Mechelburgensis: proditores, patria profugi, Imperatorem & civitates Anseaticas, adversus ipsum, instigabant; omnes tamen istas adversitates, incredibili animi virtute, sustinuit ac superavit; & indigna illa non regno, non civibus, sed tempori adscripsit. Præterquam enim, quod in novam familiam difficulter transferuntur imperia, tanta erat religionis perturbatio, ut civilem statum arietari necessum fuerit. Romanæ superstitionis libidinem, & ambitum suum sufflaminari indignantes, incautos cives in regem suum armabant. Quorum errorem miseratus, clementia sæpius, quam pœna castigavit: tantaq; constantia semper egit, ut comitate juxta privatum, dignitate supra regem esset. Tam parcus sangvinis, ut neminem, nisi plane desperatum, rapi permisserit: fidei vero regiæ tam severus custos, ut, vel solo verbo ejus, se sisterent perduelles, &, si clementiam adspernarentur, tuti abirent. Ex Rep., quam integerrime semper gessit, nihil, præter curam & gratuitas molestias, retulit. Haud mirum proinde, quod externi etiam reges & principes amicitiam ejus & fœdera ambiverint: ut *Fridericus* (1524) Daniæ rex, sancita pace quinquaginta annorum, & auxilio in mutuos hostes promisso. *Franciscus Valesius*, rex Galliæ, per legatos, fraternitatem & fœdus cum illo pepigit, contra Carolum Quintum. (1542) Evangelicos Germaniæ principes, (1542) & postea (1550) Carolum 5:t., inter fœderatores habuit. Moscum etiam, ex hoste amicum, & fœderatum (1557) sibi fecit: renovato insuper fœdere, inter se & Angliæ regnum. Liberos post se. plures reliquit: & qui-

quidem è *Catharina Saxonica Ericum* genuit; inde ex *Margareta*, Erici Abrahami Leyonhufwud filia, *Johannem*, *Catharinam*, *Ceciliam*, *Magnum*, *Stenonem*, *Annam Mariam*, *Carolum*, *Sophiam*, *Carolum*, Sudermanniæ ducem, & *Elizabetham*: Tertia conjunx *Catharina* Stenbock marito improlis supervixit. Filiæ omnes in Germania nupserunt: Ericus, Johannes & Carolus regnarunt.

Caput IV.

SI paternæ virtutis imitator, ut regni hæres, exstitisset Ericus, non minus gloriosum ejus imperium posteri celebrarent. Nullum profecto, ad gloriam & famam, ipsi adjumentum defuit. Humanioribus enim literis adprime eruditus erat: in Historia & Mathematica disciplina, eorum vincebat aut æquabat industriam, qui talium rerum cognitioni omnem impendissent ætatem: adeo ut ex sideribus, quæ nascenti sibi affulsissent, in carcere sibi pereundum ipse prædixerit. Incredibili præterea parentis sollicitudine, tam bene fundata erat regni quies, ut, nisi maximis convulsionibus, elidi non posset. Regni etiam ærarium, externorum regum perfidia exhaustum, & dispersum, ita instruxerat, ut rerum gerendarum nervus non deficeret. Sed experiundo cognitum est, non ipsum esse optimum regem, qui maximis ingenii „ & fortunæ instrumentis abundat: Sed qui juste & in- „ nocenter potestatem suam exercet; & ad civium suo- „ rum salutem, tanquam cynosuram & Helicem, omnem „ gubernationis suæ cursum dirigit. Degenerem &, adversum beneficia, ingratum filii animum deprehendit Gustavus, cum aulico ejus splendori sustentando Smalandiam attribuisset. Mox enim, parente inscio, nobilitatem pro-

vin-

vinciæ, in sacramentum suum, adegit. Unde perturbatus Gustavus, quo adversus improba filii consilia se tueretur, magnam militum manum autoravit. Atq; , ut ingratum in ordinem redigeret, regni jure exuere decrevit. Johannis tamen, pro fratre, precibus & lacrimis dedit, ut in gratiam ipsum rursus reciperet. Regno solemniter inauguratus, *Svantonem Sture*, *Petrum Brahe & Gustavum Johanson comites* creat, omnesque intra Senatum, *Baronum* titulo, puresq; alios *equestri dignitate* ornat. Concussa Moscoviticis armis Livonia, ob denegatum Russis, in emporiis nonnullis, commercium, ut ferebatur; *Revalienses*, in tanto belli terrore, in fidem & tutelam Regis Erici se dedunt: commeatu, pecunia, milite & instrumento bellico largiter impetratis. Quo facto, ne *Johannem Basilidem* offenderet, legatos in Moscoviam expedivit, Nicolaum Crumme, Ericum Falk, Episcopum Lincopensem & Nicolaum Ryning, qui docerent, hoc fecisse regem suum, ad coërcendas prædationes, quas in cives Sveonas exercuerat Magister ordinis Teutonici. Parum grata Mosco ista fuere, dissimulata tamen in præsens, biennalibus constitutis induciis. Mox Polonus, per legatos suos, ducenta millia Uncialium, & fœdus in Moscum, quem armis persequi decreverat, Ericum regem poposcit. Et pecuniam facile impetravissent, Dunemunda, Volmaria & Venda oppigneratis, sed fœdus plane recusavit in eum, qui nulla injuria lacessivisset. Elizabetham Anglam summo studio ambiverat Ericus; &, quia desideria ejus, non obscura spe, incitaverant Nicolaus Gyllenstierna & Dionysius Buræus, qui circa reginam hærebant, instructa classe quatuordecim munitarum navium, Elfsburgo solvit, ut in Angliam navigaret. Sed reflantibus, ad Juthiæ promontorium Scagen, ventis, retro pulsus, navigationem,

nem, intermisit, terrestre iter per Daniam suscepturus, (1562) si de securitate, per obsides, sibi caveretur. Verum cum mora ardor iste elangvesceret, ad Reip. curam conversus, pedem suum, in Livonia recens positum, firmare laborabat. Itaq; belli præfecturam Claudio Christierni Horn commisit, qui Parnoviam & Wittenstenum, à magistro ordinis Teutonici, regi Poloniæ cessas, expugnavit: Cœnobium etiam Padis, Holsatici juris, in potestatem redegit. Gravtier hoc tulit Polonus, juxta & Danus, qui non minus eo offendebatur, quod Daniæ & Norvegiæ insignia sibi usurpare cœpisset Ericus, usq; quo Sveoniæ insignia intermitterent Dani. Et quia Revaliensium incremento multum studuit Ericus, edicto prohibuit, ne quis Narvam navigaret; contemsere interdictum illud Lubecenses, & propterea, naves eorum 32 interceptæ, Holmiam mittebantur. Ita omnes vicini male animati adversus Ericum erant. Moscus tamen adhuc nihil moverat, metu fœderis, inter Polonum & Ericum, propter conjugium Principis Johannis & Catharinæ Iagellonæ, Sororis Sigismundi Augusti. Fridericus 2:dus Danus, utut rerum suarum satagens, amicitiam per legatos ostentabat: Lubecenses infirmiores erant, quam ut rem soli aggredi auderent. Omnes tamen hi mutuas vires contra Ericum sociaverunt. Nec latebant ipsum inimica ista consilia, quorum etiam participem esse, fratrem suum Johannem, Finlandiæ ducem, suspicabatur, quod affini suo, Sigismundo Augusto, centum viginti quinq; millia Uncialium credidisset, in pignus acceptis præfecturis aliquot & arcibus in Livonia. Itaq; per se suspicax, & sceleratorum hominum suggestionibus impulsus, fratrem suum absentem, coram regni ordinibus, voce Georgi Petri, accusatum, condemnavit: (1563) missisque cohorti-

R bus

bus aliquot militum, in arce Aboensi expugnatum captivavit, totumq; inde quadriennium, cum conjuge, in carcere Griphisholmensi detinuit.

Caput. V.

CONsumta amoris flamma in Elizabetham Anglam, *Maria* etiam, Scotiæ regina, quam ambiverat, ex animo deleta, Christinam, Philippi Hessi filiam, amare occœpit. Eamq; ad conficiendam rem, Stenonem Ericson & Gabrielem Christerson terrestri itinere per Daniam ablegavit. Verum illis Hafniæ detentis, ad arma utrinq; consilia spectabant. Procationem interim non intermittens Ericus, Georgium Gera, cum duodecim navibus bellicis, pro adducenda sponsa, Rostochium expedivit. Quæ in itinere hostiliter, à præfecto classis Danicæ Brokenhusen, exceptæ, sibi non defuerunt. Præfectus enim Sveonicus, Jacobus Bagge, rem strenue gerendo, prætoriam Danorum navem, cum duabus aliis præstantioribus, in potestatem redegit: & una ipsum Brokenhusen atq; etiam Ottonem Crumpe, Summum quondam Christierni Tyranni belli ducem, contra Sveonas, & jam fere decrepitum. Atq; sic, re bene gesta, portum Rostochiensem incolumes tenuerunt. Hessus autem legatum, infecta re, dimisit, offensus literis, quas de amore suo ad Anglam scripserat Ericus, & in mari interceperat Danus, ut scribit nonnemo, seu potius filiam ei collocare nolens, qui tot undique hostibus premeretur. Danum quidem ad saniora flectere nitebatur Ericus, misso legato suo Georgio Gyldenstierna; sed sine fructu revertentem, fœcialis Friderici, & tabellarius Lubecensium, belli denunciatores, subsequebantur. Intercedebant quidem funestæ huic Tragœdiæ

gœdiæ Saxo & Hessus, reconciliationis opera per legatos suos Rostochii oblata. Sed cum liberum illuc commeatum, Sveonibus denegassent præfecti classis Danicæ, inter Olandiam & Gothlandiam, ad manus ventum est, acerrimeq; per integrum diem pugnatum; tandem, amisso præfecto suo Francisco Bilde, pugnæ se subtrahebant Dani, fretum Oreswad repetentes: Jacobus etiam Bagge classem Sveonicam Holmiam versus reducebat. Inter hæc Fridericus, recensito in Scania exercitu, Elfsburgum deditione cepit; relictoque ibi præsidio, exercitum partim exautoravit, partim in hiberna reduxit. Ericus, cum copiis suis sero veniens, Hallandiam quidem pervasit, sed, Halmstadio frustra oppugnato, recessit. Residuas copias deducturi erant Claudius Christerson, & Carolus de Mornaj. Quibus retrocedentibus, supervenere Dani, & tormenta omnia bellica ademerunt. Circa principium novi anni; (1564. Jemtia Danos ejecit, prolatisque in Norvegiam armis, Nidrosiam, cum universa ejus ditione, in potestatem suam redegit. Sed expeditionis illius Dux, Collartus Gallus, impetratis obsidibus, provinciam in fide permansuram ratus, majorem copiarum partem remisit: Edvardum etiam Bilde, præfectum Danum, cum pluribus aliis nobilibus, accepto juramento, nunquam contra Sveonas militaturos, è captivitate dimisit. Qui mox cum novo supplemento è Dania reversi, Collartum ad deditionem coëgerunt. Et ille, commeatus liberi promisso deceptus, in Daniam captivum se duci, Sveonesq; Norvegia ejici, iniquissime ferebat. Eodem prope tempore, Hallandia & Blekingia à Sveonibus direptæ, & castella aliquot in Livonia, cum universa ditione, quæ principi Magno, fratri Friderici parebat, ab Henrico Hornio occupata fuere. Moscus etiam, quod à Tartaris infestabatur, legatis Erici pacem in ali-

quot annos confirmavit. Ad componendum bellum hoc, Ferdinandus Imperator, Maximilianus Bohemiæ, Sigusmundus Poloniæ, Fridericus Daniæ reges, Augustus Saxo & Henricus Brunsvicensis cum Lubecensibus, legatos suos Rostochium miserunt, quo invitatus Ericus, *ejusmodi negotia, in confiniis Gothiæ & Daniæ peragi, ub antiquo consvevisse*, respondit. *Qui locus si arbitris non displiceret, operam eorum sibi gratam futuram. Ceterum, legatos suos Rostochium non missurum, quod literis fidei publicæ aliqua inessent, quibus accquiescere non posset.* Atque ita reconciliationis istius conatus frustra fuit, domum suam unoquoque dilabente. Primo vere, triginta quinque, contra Danos & Lubecenses, bene armatas eduxit naves Jacobus Bagge, inter quas ipsa prætoria, makalös, centum viginti quinque vehebat machinas bellicas. Biduum, pari eventu, utrinque pugnatum inter Gothlandiam & Ölandiam; Tertio die, cum hostes ad Ölandiam persequeretur Baggius, mutato vento, & universa classe circumseptus, acerrime se defendebat, donec laceram & fatiscentem cedere coactus est, quæ, incenso pulvere nitrato, mox rupta, cum insessore hoste, fundum petiit. Ipse interim Lubecensem navem conscenderat. Atq; sic, utraq; dissipata classe, prælium diremtum fuit. Reparatæ mox classi Claudium Flemming, Petrum Baner & Nicolaum Grijp præposuit, qui huc illuc oberrantes, viginti sex onerarias naves Lubecensium, cum pretiosis mercibus, Narva redeuntes, interceperunt: Duas etiam bellicas Dano extorserunt. Benedictus Räf solus octo Batavicas, sale onustas, & Narvam petentes, Holmiam secum coëgit. Andreas vero Beronis Sveo, in portu Varnemundano, terra mariq; expugnatus, ne in hostium veniret potestatem, flamma simul & aquis perire maluit. Cum classiarios

rios suos, maximam partem, in indagandis onerariis hostium navibus, occupatos videret Ericus, Claudium Christerson cum imperio misit, qui, prælio ad Ölandiam per biduum continuato, hostes profligavit, tribus præstantioribus navibus captis, & totidem igne consumtis. Ericus, facta in Blekingiam expeditione, provinciam cum arcibus occupavit, civitatemque Rotneby resistere audentem, expugnavit delevitque. Senescente anno, transmissis montibus, magnam Norvegiæ partem vastavit. Nec minorem Scaniæ & Hallandiæ vastitatem intulit Claudius Christerson. Elfsburgum etiam obsessum, sed, culpa comitis Petri Brahe, factum, quod commeatum hostes intulerint. (1565) Dum ita ex sententia res domi eunt, præsidium germanicum, quod Parnoviæ erat, urbem Polono prodidit, interfectis, qui nil nisi metuebant militibus Sveonibus. Quo sceleris successu ferociores, ad Revaliam castra posuerunt: Sed hic secure nimis agentes, Henricus Claudii, Præses provinciæ, & juxta militiæ præfectus, magnam partem concidit. Ceteri etiam, fere omnes, postmodum cæsi captique, perfidiæ pœnas luebant. Cautior inde Moscus, qui in stativis Dorpati erant, germanos omnes in Moscoviam abduxit. Claudius Christerson, jam iterum classem quinquaginta navium educens, excubitores, liberum commeatum inhibentes, dissipavit: Inde supra Mœnum & Falsterboam in ancoris consistens, à præternavigantibus vectigal exegit. Pugnatum inde fat acriter, Vismariam inter & Rostochium, ubi Dani, amisso præfecto suo Herlao Trolle, ad Öresund se receperunt. Suffecto ibi, in Herlai locum, Ottone Rud, acrioribus animis Lubecensibus sociati, Sveonum classem, inter Bornholmiam & Rugiam, assecuti sunt. Par utrisque pugnandi ardor & anceps diu vi-

victoria, donec, quater mille suorum desideratis, pluribusque Danorum & Lubecensium navibus depressis, ipse Rudius palmam nostris cederet. Captæ cum ipso quasi quinquaginta, & tres naves. Ceteri plenis velis Oresundam fugiebant. Ex nostris mille quingenti ceciderunt. Totiens cæsus Fridericus, tam suis, quam Galli & Pomerani literis, pacem svadebat Erico: nec repudiavit ille, si Hallandia, Vichia, Jemtia & Herdalia, perpetuo jure, regno Sveoniæ cederentur, cum iis, quæ in Livonia sibi arrogabat Danus, reservata interim actione in Gothlandiam & Scaniam. Si ab usurpatione trium coronarum desisteret Fridericus; & damna utrinque gratuita essent, nemine de rebus restituendis compellato. Duriora hæc Friderico videbantur, ideoq; exercitu in W-Gothiam immisso, ruricolas mulctabat: Sed adcurrens mox Ericus, prædatores ejecit, & Vadburgum inde vi expugnavit, civitas igne deleta, arx vero, præsidio bene firmata, Carolo de Mornaj commissa fuit. Obsessam rursus Ranzovius, magno ardore & pari suorum jactura, oppugnavit. Adpropinquantem vero cum novis viribus Jacobum Henricson percipiens, ei ad Svartera occurrit. Numero quidem præpollebant Sveones; sed, circa primum conflictum, equitatus, qui, maximam partem, ex Germanis constabat, in fugam effusus, pedites destituit. Qui, licet strenue rem gererent, à revertente tamen equitatu Danico loco pulsi, in paludes & montes se recipiebant, desideratis mille septingentis, amissisq; triginta tormentis bellicis. Victoria tamen illa Ranzovio, quater mille militum jactura, constitit: Sveones vero, perditarum rerum dolorem, Scaniæ direptione solabantur. Vardburgo, adversus vim, commeatu & annona bene instructo, Bahusium obsidere Nicolaus Boye & Nicolaus Sture præcipiebantur. Longam

gam vero expugnationis moram ignaviæ præfectorum adscribens Ericus, Carolum Mornæum rei conficiendæ præfecit. Sed cum & ille, rebus infectis, discedere cogeretur, vehementer ducibus irascebatur Rex: Nicolao tamen Boye ob ætatem & merita ignovit; Mornæi etiam excusatio non injusta visa: Nicolaum vero Sture, per Holmiam ignominiose circumductum, in gratiam postea recepit, atque in Lotharingiam ablegavit, ut, inchoatum ibi, matrimonii negotium conficeret.

Caput VI.

CLassem, hac æstate, (1566) sexaginta octo navium educit Claudius Christerson, ipsamque, hoste nusquam comparente, ad fretum Ørelund stitit. In conspectum tandem veniens, Danorum atque Lubecensium classis, quadringentas, sale aliisque mercibus onustas, naves in antecessum emisit, quas, Codani sinus emporia petituras, aliquamdiu detinuerat. Stratagema id suspicatus Claudius Christerson, quo, Sveonibus, ad onerarias intercipiendas, dispersis, expeditius hostis superfunderetur, suas in ancoris continuit, exterisque liberum transitum permisit. Hoste interim cunctante, & certaminis forte non avido, expansis velis, onerarias consectatus est, earumque ducentas in Sveoniam abduxit: Mox, recenti commeatu instructis navibus, hostem repetebat: ipsum ad Ølandiam occurrentem, acri commisso prælio, in fugam vertit. Ad reparandas vires, Visbyensis in Gothlandia portus commodus fugientibus videbatur; summoque nisu illuc tendentes, insequi destitit Carolus Christerson, quod adpetente nocte, coortaque procella, classem suam scopulis syrtibusque infido mari committere verebatur. Sequenti die insur-

surgens tempestatis sævitia, Danorum Lubecensiumque classem elisit. Periere prætoriæ utræque Samson & Styrsweden, cum septendecim aliis egregiis navibus: atque in illis præfectus Danus Johannes Laurentii, Lubecensiumq; Bartholomæus Tinnapel, cum novem millibus militum submersi sunt. Sveonum vero classis, utut tempestate dispersa, incolumis tamen Holmiam pervenit. Si tam prospere terra processissent res, fractæ penitus concisæq; hostium fuissent vires: Sed tardius, quæ requirebantur, expediunte Rege, in W-Gothiam irruit Ranzovius, prædasq; inde egit: in reditu tamen, omni præda & mille quingentis militibus, à Mornæo mulctatus est. Retrocedentem interim persequi non potuit Mornæus, ob pestem in castris vehementius se exerentem, sed cum copiarum tantum parte, regni limites, ab incursionibus hostium, tueri satis arbitrabatur: securus vero, seu resistendi impar, in potestatem Ranzovii venit ipse, cum Jacobo Henricson. Propere Itaque illuc regio imperio festinans Claudius Christerson, in O-Gothia ex peste decessit, magno regis & patriæ desiderio atque mœrore. In ejus locum suffectus Boëtius Grijp, tentato frustra Halmstadio, Hallandiam diripuit, atque inde in hiberna recessit. Cum ad Pernovium aliquamdiu desedisset Henricus Claesson, soluta obsidione, Oseliam pervastabat, quod Polono auxilia misisset princeps Magnus. Præsidium vero Polonicum Hapsaliæ concidit Claudius Cursel: in cujus ultionem, cum majoribus copiis accurrens Folvensky, fuso equitatu, peditum nostrorum bis mille delevit, haud incruenta victoria, cum non pauciores ipse amisisset. Circa initium novi anni, (1567) in Norvegiam, cum militaribus copiis, properavere Antonius Olai, & Johannes Siggonius; quibus sociata agrestium Dalekarlorum multitudo, quum totam ibi hiemem late per-

pervagati fuissent, uberem inde prædam retulerunt. Navali expeditione Petri Bagge, nihil fere memorabile, hac æstate, gestum. E Muscovia revertentem Nicolaum Gyllenstierna, qui, præterito autumno, Regis nomine, illuc iverat oratum, ne Sveonum in Livonia progressus inique ferret Magnus Dux; simul etiam excusatum, quod Catharinam Iagellonam, Fratris Johannis incarcerati uxorem, ipsi cedere non posset, tametsi, tacito mandato, ipsam obstinato addicere jussus erat, si aliter retineri amicitia nequivisset. Jam subsequens legatio, ducentorum hominum Magni Ducis, Jagellonam, Domino suo promissam, instanter petiverunt. Horum adventu, non mediocriter turbatus Ericus, quod implere promissum, sine turpitudine, non posset, nec barbarum negando irritare vellet, per senatum ipsos admoneri fecit, ut ab inhonesta petitione desisterent. Illi autem, nec Domino suo injuriam, nec sibi senibus ludos fieri, velle regerebant. Vane itaque protracto negotio, legati dimissi non sunt, antequam Ericus ab imperio deponeretur. Secunda hactenus Regi fortuna, jam in contrarium ipsi vertitur. Malis enim suggestoribus aures commodans, multa sibi & regno perniciosa perpetravit. Procerum præcipuos, *Svantonem Sture*, filium ejus *Ericum*, *Abrahamum Gustafsson*, fratrem reginæ viduæ, atque *Ivarum Ivarsson*, conjurationis delatos, arci Svartesiöanæ, mox etiam Upsalensi inclusit. Quos, una cum *Nicolao Sture*, ex legatione Lotaringica modo reverso, & *Stenone Ericson* atq; *Stenone Baner*, in judicio regio, accusavit Georgius Petri, regius secretorum arbiter. Perduellionis condemnatis, veniam & gratiam rex ipse addixit, innocentesque pronunciavit. Mox cæco furore percitus, in cubiculum, *Nicolai Sture* descendit, strictoque pugione ipsum transverberavit, quem pectori

S edu-

eductum, suppliciter & cum osculi veneratione regi reddidit. Et quasi ad mortem non fuisset, quod rex inflixerat vulnus, bipennem faciei ita impressit Spiculator, ut in cervicem desineret; septemque insuper confossum vulneribus, cadaver reliquit. Hinc conscientiæ furiis agitatus Rex, citato cursu ex arce se proripuit, vicinam silvam petens. Prius tamen vocatis excubitoribus, ceterorum procerum cædem mandavit. Fugientem ad confinia silvæ, adsecutus est Dionysius Buræus, Præceptor quondam, ut vel impotentem mentis regem reduceret, vel innocentum cædem deprecaretur. Sed protinus, amentis jussu, trucidatus est. Superveniens deinde excubitorum præfectus, Petrus Gadd, quid captivis nobilibus fieri vellet, rogavit: & ille eodem furore tolli omnes jussit, excepto Stenone. Inde avia petens, sumtoque rustico habitu, silvarum inculta & præcipitia cursu transmisit, instar feræ sauciæ & à canibus exagitatæ. Quarto demum die, ad prædium pastorale Onsala, a concubinis suis agnitus est; quæ pavitantem, & rationis omnis expertem, dulcibus tandem verbis pepulerunt, ut cibo & somno se reficeret. Petrus Gadd, crudele regis imperium aversatus, sed juxta certam sibi perniciem, si mandata neglexisset, pertimescens, Georgium Petri consuluit, quid sibi hac in re faciendum esset? Ille hoc ad se non pertinere, respondit; si rex interim mandasset, quid exsequi mandata cunctaretur? Ita animi anxius, nobilium tamen vitam, nece sua haud redemturus, assumto spiculatorum satellitio, in captivorum cubicula irrupit, & *Svantonem Sture* cum filio *Erico & Abrahamo Gustafsson* trucidavit: *Ivarus Ivarson*, correpto fuste, duorum cerebrum elisit, priusquam mortuus collaberetur. (1567) Cæsorum cadavera, in hypogæum tracta, in octavum diem occultabantur. *Ste-*

noni

noni Ericson & Stenoni Baner vita haud ablata, quod, uteri parcere præcepisset rex, ignorabat satellitum præfectus. Ut ad se quadantenus rediit Ericus, Holmiam deductus est: indeque Nicolaum Ryning Upsalam, cum literis, expedivit, ceteris proceribus gratiam suam pollicens, eorumque operam expetens, in consolandis interfectorum necessariis & propinquis, præcipue Margaretha Svantonis conjuge, quæ maritum & utrumque natum, in sangvine suo ac tabe natitantes, sine cordis dolore, non esset acceptura. Ubi regina vidua *Catharina*, *Steno Ericson*, *Steno Baner*, *Hogenskildus Bielke* Holmiam, ad regis imperium, accesserunt, ad eorum genua provolutus, delictorum veniam imploravit, atque, ut Svantonis viduæ se reconciliarent, oravit, cui in satisfactionem obtulit, quicquid, absque regni detrimento, tribuere posset. Illa autem aliud non petiit, quam, ut conjugis & filiorum innocentia per regnum publicaretur, suppliciumque de illis sumeretur, qui regi autores fuissent inconsultæ sævitiæ. Mox supplicationes per totum regnum imperavit, ad placandam numinis iram, & scripto simul interfectorum honorem & innocentiam adseruit, in quos malorum suggestionibus, & mentis imbecillitate, deliquisset. Regius quoque præco, in exequiis ipsorum, idem iteravit, regis vindictam minatus, si quis sinistri quidpiam in illos diceret. *Georgius* vero *Petri*, malorum omnium caput & auctor, in carcerem inclusus, ut nequam, infamis, perjurus & proditor, condemnatus fuit capitis, famæ & fortunarum. Post hæc in villam Svartesiö discessit Ericus, solitariam vitam agens. Cumque de gravissimis regni negotiis ab senatu consuleretur, cum fratre suo Johanne, incarcerato, se prius colloqui cupere respondit. Svadente itaque senatu, ipsum ex custodia Gripsholmensi, ubi quintum jam annum

 deti-

detinebatur, per fratrem Carolum, & Saxoniæ ducem Magnum, ad se accersit. Advenientem, in genua se demittens, regem salutavit, atque, ut peccato suo in ipsum ignosceret, oravit. Negavit vero alter, in genua etiam procumbens, hoc honoris se admissurum, sed Ipsi, tanquam legitimo Regi, obsequia præstiturum, si libertas sibi & paterni testamenti privilegium restitueretur. Hinc lætior, propiorique adfectu, fratrem complexus, omnia, quæ per suspiciones & pravorum consilia ipsi ademerat, iterum addixit, sancita injuriarum oblivione.

Caput VII.

DUm funesta & sibi luctuosa, in cives, perpetrat Ericus, Smalandiam atque O-Gothiam armis pervasit *Ranzovius*, de quo crebris literis admonitus, nihil fere in rem consulit: ut satis adpareret, animi ejus vigorem, priori perturbatione, multum imminutum fuisse. Rebus hisce adflictis, multum angebatur senatus, quod nullum fere in Rege præsidium, nec ipse, ut res postulabat, decernere aliquid audebat. Tandem Petrus Brahe, Hogenskildus Bielke & Ericus Gustafson mandata accepere, congregandi milites, atque in hostem ducendi. Quam expeditionem non libenter satis susceperunt, quod regis animi imbecillis iram verebantur, si improspere res cessura esset. Congregatis militibus, arborumq; concæde facta, impeditis elabendi itineribus, hostem invasuri erant, cum nova regis mandata adveniunt, suscipi aliquid prohibentis, ante adventum suum. Verebatur, scilicet, ne, istac occasione, abalienatam ab se, provinciam sibi conciliarent. Igitur, cum nullum inter milites imperium aut auspicium erat, multæ rei, bene gerendæ, occasiones perierunt: & hostis pro lubitu provinciam adflixit: Inde et-

etiam, castra ad villam Norby aggressus, dissipavit. Initio novi anni, (1568) in castra venturus Rex, majorem exercitus partem in Sudermanniam convocavit. Facta sic elabendi occasione, hostis, per silvam Holawed, agmina sua reducere festinabat, diu multumq; in aperiundis concædibus, desudans, & vel paucos propugnatores, in angustiis istis, exercitum suum delere potuisse, fassus. Postrema fugientium agmina cum paucis, quos secum habebant, non mediocriter in angustiis locorum carpebant Holgenskildus Bielke & Steno Baner; successuq; audaciores, non æstimata paucitate sua, à multitudine tandem circumventi captiq; fuerunt. Cum in tutum se recepisset hostis, cum excercitu venit Ericus, Johanne & Carolo fratribus, Duceq; Saxoniæ Magno comitantibus, iisdemque itineribus, per O-Gothiam & Smalandiam, in Hallandiam tendit. Damno nonnullo incolis illato, exercitum per W-Gothiam reduxit. Holmiam reverso, filium Catharina pepererat; cum qua legitimæ fere uxoris consvetudinem habuerat, & jam, seu per impatientiam voti sui in Anglia, Scotia, Hessia & Lotharingia frustrati, seu splendidius matrimonium desperans, legitimis nuptiis sibi eam copulavit, reginamque creavit, tametsi humilimo loco natam, & tanto præterea fastigio indignam, ab exteris existimatam. Eadem festivitate, sororem Sophiam Magno, Saxoniæ Duci, collocavit. Johannes Carolusque fratres, regis celebritati isti se interfuturos spospondcrant, è vestigio tamen in O-Gothiam discedentes, intercepto Wadsteno, O-Gothiæ, Smalandiæ & W-Gothiæ incolas sibi conciliaverunt, fratremq; ab imperio removendum decreverunt. Adversus illos emissæ cohortes regiæ, in partes ducum transivere: arces etiam & civitates ipsorum auspicia sequebantur: Et ut constaret, infelici omnes inimicos

micos esse, sorores, adfinis, Regina vidua, facta sibi exspatiandi potestate, Upsalam ad Duces contenderunt. Nec, ad rei summam, quicquam jam defuit, præter expugnationem Holmiæ, captivitatemque Regis. Obsessa urbe, in turrim trium coronarum adscendit Ericus, Georgio Petri, quem pridem convictum & condemnatum, in priorem amicitiæ gradum, restituerat, comitatus: visaque fratrum potentia, illacrimavit. *Non hæc te jam calamitas obrueret*, *O Rex*, inquit Georgius, *si*, *ad consilium meum*, *fratri tuo Johanni*, *cum in manibus erat*, *caput decussum fuisset*; *Videris aliquid dicere Georgi*, respondit Rex, *sed neglectum consilium*, *amplius non est consilium.* Vix ea fati erant, ecce! Ducum nuncii, Georgium dedi sibi, postulantium; exhorruit ille, totisque contremuit fibris, quum, anxii & desperantis regis permissu, in castra se rapi videret; credidisset cœlum prius ruiturum, quam ab rege suo se destitutum iri: Sed, quum multis innocentibus perniciem struxisset, divinam se vindictam ante oculos cernere. Post aliquot dies, repetita capitis sententia, supplicium condemnato repræsentabatur. Præcisis primum auribus, patibuloque adfixis, fune brachiis illigato, in sublime raptus, demittebatur: brachiis inde pedibusque contusis, capiteq; securi præciso, in 5 partes dissectus, rotis imponebatur: ut non una morte, ita nec simplici ignominia punitus. Holmenses cives, desperatis regis rebus, præsidium Ducum intromiserunt. Rex fratres venisse ratus, satellitio stipatus, in forum descendit; Ubi *Stenonem Ericson*, Ducalium cohortium præfectum, ad manum deosculandam admissum, bipenni transfodit satelles. Fatale nempe signum, à rege fratribus destinatum, hic immerito & per errorem militis, luisse creditur. Inde veloci cursu, in arcem se recipiens, portas claudi præcepit. Ne

quid

quid interim turbarum in urbe fieret, diligenter providit Dux Carolus, in cujus etiam fidem ſe Rex permiſit, ex arce in templum majus deſcendens. Unde honorifice in cænaculum ſuum fuit deductus. Sequenti die, ſolemniter intravit Dux *Johannes*, &, poſt pauca, regalibus omnibus fratrem ſpoliavit, ipſumque in cuſtodiam miſit: in qua, poſt novem annorum calamitatem & ignominiam, deceſſit; filiis ejus, in pœnam paternorum delictorum, omnis emergendi ſpes præcluſa, adeo ut, ne principum nomine, unquam adpellari deberent.

Caput. VIII.

CONverſa ita rerum facie, regnum ſolemniter iniit Johannes. In ejus autem evolutione rerum geſtarum, quæ circa ſacra & religionis cultum, ab civilium negotiorum enarratione ſeponemus, ut diſcretim perſcripta, legentibus melius pateſcant. Et initio quidem, Evangelicam doctrinam, ejusque præcones magno ſtudio & amore fovit. Horum viduis, civili jure, dimidiam bonorum partem, & filiabus æquam cum fratribus portionem addixit; cum in tertiam tantum, provinciali jure, antea admittebantur. Uxorem duxerat *Catharinam Jagellonam*, Sigismundi Auguſti ſororem, Romanis ſacris à teneris innutritam, quæ, blanditiis & aſſiduis ſollicitationibus, maritum eo impulit, ut, quod in nuptiarum pactis promiſerat, receptam ipſe catholicam religionem, regno vi ingratiis obtruderet. Negotio promovendo, acriter incubuere *Herbeſtus*, Reginæ concionator aulicus, *Antonius Poſſevinus*, legatus Pontificis, & *Laurentius Norvegus*, vulgo *Kloſter Laſſe*: quorum ſedulitati crebras ſuas literas & ſollicitationes adjunxit Cardinalis *Stanislaus Hoſius*, Epiſcopus

pus Varmiensis. Qui, successu pervertendi regis lætus, hoc tamen non mediocriter percellebatur, quod, melioris doctrinæ instinctu, vini etiam consecrati usum, in Dominica cœna expeteret Regina, Pontificisque veniam & adsensum eo precario imploraret. Sed veritus, immaturum ejus desiderium, aspera inhibitione, irritare, Pontificem, hac in re inexorabilem non futurum, pollicetur, si maritum prius, & totum regnum, ad Romana sacra convertisset. Intellecto interim, *Ipsam*, Lutherano more, Eucharistiam celebrasse, acerbe queritur, Pontificisq; minas & durum officii imperium crepat. Mortuo *Laurentio Nericio Archi-Episcopo*, Evangelicæ professionis fulcro, electoque *Laurentio Gotho*, homine inconstantissimo, assiduis *Jesuitarum* arietationibus uxorisque lenociniis expugnatus animus Regis, repudiata pridem Romanæ superstitionis ludibria, quibus majores nostri misere fascinati & decepti erant, postliminio recepit. Desiderii itaq; sui compos Hosius, isto regem arcano imbuit, ut munera, honores & dignitates eis dispertirentur, qui ad antiqua sacra reverterentur: ceteros, qui bonis gratiis, & hoc honoris invitamento, non allicerentur, vi cogeret; nec pateretur, in senatu & suggestu conspici, qui ab se, circa divinum cultum, diffiderent. Probatum id mox Regi, neminemque ad sacrorum munia admisit, qui *Liturgiæ* adversaretur: Sic vocabant sacrificii & propitiationum consarcinatas ceremonias. Hac esca illectus Archi-Episcopus, aliique nonnulli Antistites, Romano ritu, Upsalæ initiabantur, multum adversantibus sanioribus. Mox Liturgiam, ab Herbesto & KlästerLassio concinnatam, autoritate sua promulgavit Archi-Episcopus, ipse, in natalitio festo Christi, missam papisticam celebravit. (1576) Cumq; concionibus M:ri *Olai Medelpadii* & M:ri *Petri Jonæ*, tacite

te ob id perstringeretur, irarum plenus, utrumque officio movit. Superstitiones nemo infensius aversatus est, quam Dux *Carolus*, qui celebriores Germaniæ *Theologos* de Liturgia consuluit: Omnes autem istam, tanquam Jesuviticæ perfidiæ cerussam, damnarunt. Imminentibus comitiis, regis jussu, in carceres alio deportati sunt præcipui Liturgiæ oppugnatores, M:r *Olaus Medelpadius*, M:r *Abrahamus*, M:r *Salomon*, M:r *Petrus Jonæ* & M:r *Olaus Luut*. Cum, quæ ad civilia negotia pertinebant, peroraffet Rex, in Liturgiæ commendationem effusus, an ipsam probaturi essent Episcopi & Presbyteri, rogavit? Annuere plerique, Regis iram & stipendiis suis timentes. Solus Lincopensis M:r *Martinus*, cum paucis aliis presbyteris, contranitens, contumaciæ & rebellionis notatus est, minatusque est Rex, se manu & armis Liturgiam defensurum. Subscripsere Episcopi & Presbyteri, qui comitiis interfuerunt: (1577) quorum in sententiam tandem concessit Lincopensis, quod sanam se interpretationem adjuncturum pollicetur Archi-Episcopus. Sed, promisso non impleto, factum rescidit impugnavitq;. Rex tandem, legato Romam expedito, Pontifici obsequia sua detulit, virosque in religione doctos & industrios expetivit; de quo mirifice triumphabat Hosius, tanquam gloriæ suæ trophæo. Orta igitur persecutione, Evangelici Doctores, M:r *Olaus Medelpadius*, M:r *Salomon* & M:r *Johannes Salamontanus*, in carcerem conjicebantur: M:r *Abrahamus* Lubecam profugit. Plerosque tamen Carolus collegit, fovitque. M:rum Martinum Lincopensem, Nycopiæ concionatorem, constituit; filiumque ejus M:m *Olaum* Scholæ præfecit; Magistrum vero *Petrum Jonæ* ad Episcopatum Stregnensem promovit. *Scheppero*, Holmensis collegii Rectori, munus imposuit Rex, edendæ concordiæ & harmoniæ, inter Litur-

turgiam & professionem Evangelicam: quod cum perficere non posset, aut non vellet, ab irato rege tractus conculcatusque, perpetua inde hernia laboravit, carceremq; insuper laboris prœmium tulit. Ista severitate coërcitis præcipuis, ceteri silentio securitatem redemerunt. Regis etiam mandata ad Carolum pervenerunt, quibus per ditionem suam Liturgiam promulgare jubebatur. Ille autem, per omnia sancta & cara fratrem obtestabatur, ne se impium fieri cogeret, eorumque transgressorem, quæ per Christianæ fidei sacramentum sposponderat: quin potius ipse, malorum artibus seductus, resipisceret, nec suæ aliorumque conscientiis insidias strueret. Contumaciæ loco responsio ista, tametsi æquissima, apud iratum Regem fuit; fratremque ditione sua spoliare in comitiis adnixus est. Sed, intercedentibus ordinibus, cum voluntatem suam exsequi non posset, Wadstenis, Episcopi & judicis provincialis constituendi jus, in ditione fraterna, sibi reservatum esse contendit: quo impetrato, autoritate ipsorum facile successurum erat, quod moliebatur. Plus tamen valuit Ducis causa, quam iniquum regis postulatum. Archi-Episcopus ceterique Liturgiæ patroni, mentis, male consciæ, stimulis sauciati, & in ultima mortis lucta pœnitentiam agentes, Dei misericordiam, & eorum, quos læserant, gratiam implorabant. Sigismundo, in Poloniam profecturo, Calmariæ (1587) cautum, ne id patriæ fraudi esset, Regnumve Pontifici submitteretur, aut potestas ipsi fieret, Archi-Episcopum, aliosve religionis Antistites constituendi. Omnes interim, Liturgiæ adversantes; in hoc conventu, ut perjuri, rebelles, proditores, & factiosi, à rege sunt proscripti. Istius edicti acerbitate perstricti, quotquot in ditione Caroli erant presbyteri, defensionem ediderunt, quare Liturgicam abomi-

natio-

nationem recipere non poſſent. Schepperus etiam, cum Archi-Epiſcopo *Andrea*, Liturgiſta diſputans, quia rationibus ſuperior, cum Profeſſoribus M:ro *Nicolao Botnienſi* & *Kenicio* in carcerem conjectus eſt; rebellionis crimine ab Archi-Epiſcopo ipſis exprobrato. Ne tamen turbas hæc res daret, Concionatorem Holmenſem, M. *Petrum Pauli*, Liturgiæ addictum removit Rex, ejusq; in locum Jeſuitas ſubmiſit, quos cum audire nollent cives, hinc inde concionatores advolati ſunt. Vexionenſis Diœceſis presbyteri, gravatæ conſcientiæ querelam ad regem deferentes, ut Evangelicæ doctrinæ libertatem ſibi indulgeret, ſupplicarunt. In hos, perjurii damnatos, ſeveritatem omiſit, intercedente regina *Gunbilda Bielke*, &, ut, in adfecta valetudine ſua, animæ curam ageret, admonente, vehementer etiam ipſum terruerunt, ſupra arcem Holmenſem, ſereno cœlo, plures ſoles interſecti, variisque coloribus depicti circuli. Quo prodigio graviter concuſſus, Dei imploravit clementiam, conſcientiisq; amplius ſe non velle dominari ſpoſpondit. Deum interim conteſtabatur, ſe non novitatis ſtudio, Romanæque ſuperſtitionis amore, ſed, ut ſacramento venerationem conciliaret, Liturgiam promulgaſſe. Regio mandato, in templo Holmenſi, depictos circulos iſtos, etiamnum videre licet, quos Aſtrologus quidam, non imperitus, de filiorum & nepotum Guſtavi primi fatis, concertationibus & interitu interpretabatur. His breviter circa religionem expoſitis, ad initia civilis imperii Regis Johannis revertamur.

Caput IX.

CONflatum ab Erico bellum, cum captivitate ejus finitum non erat. Miſſis igitur legatis ad affinem Po-

lonum, eum sibi reconciliavit Johannes. Mosco etiam significavit, ægerrime se tulisse legatorum ejus impium postulatum: quia tamen fratris hic culpam facile perspiceret, velle se cum ipso amicitiam colere, legatosq; ejus honorifice hic habitum iri, quoad sensum suum hac de re explicaret. Respondit Moscus, existimasse se, conjugem ejus viduam fuisse, ipso in captivitate mortuo; Hanc, Erici Regis promisso, exceptum venisse legatos suos. Si fœdus & amicitiam pristinam restaurari placeret, legati dimitterentur, atq; ipse Moscoviam è suis destinaret, qui pangendo fœderi interessent. Æqua postulasse Moscus videbatur. Itaq; legatis ejus dimissis, *Paulum*, Aboensem Episcopum, *Petrum Bagge*, *Antonium Olai* & Secretarium *Matthiam Schubert*, ad fœdus cum Magno Duce renovandum, expedivit. *Georgium* etiam *Gyllenstierna* & *Turonem Bielke* in Daniam ablegavit, ut a quis conditionibus pacem redintegrare conarentur. Sed, si quid durius ab ipsis postularetur, ad regis sui arbitrium referrent. Illi autem, mandatis insuper habitis, pacis conditiones, contra regni dignitatem atq; commodum Roschildis iniverunt, quæ proinde, ut irritæ, in regni comitiis, ab ordinibus, repudiabantur. In illis ipsis comitiis, Johanni atq; stirpi ejus masculæ regnum iterum confirmatum. 1569. Erico autem, ejusq; liberis, præcisa spe restitutionis, omne jus regium abjudicatur, perpetua insuper captivitatis pœna, ob peccata, in cives admissa, decernitur. Convenere inde, ad regnorum limites, regii utrinq; legati: quorum ultro citroq; habitis disceptationibus, aliud effectum non est, nisi ut lis ea, exterorum regum atq; principum arbitrio terminanda, permitteretur. Interera, coronationis suæ solemnia celebrante Johanne, classis Danica, Revaliam adnavigans, triginta circiter

one-

onerarias cum mercibus abduxit. Friderico etiam, terresti militia, Varburgum circumsedenti, castrum illud deditur à præsidio, ob mortem præfecti Boëtii Grijp, consternato, quem castrensis tormenti ictus prostraverat. Eodem fato periere Daniel Ranzovius & Franciscus Brokenhusen, militiæ Danicæ præfecti, Vardburgi amissionem ut Danorum aliqua clade pensaret Johannes, per fratrem suum Carolum, Scaniam & Blekingiam vastavit: inde etiam maximam Norvegiæ partem, per Claudium Flemming & Bryntonem Brynulfi diripuit. 1570. Per hoc tempus Claudius Curfel, Livonicorum Equitum tribunus, castrum Revaliense Johanni Regi, cui fidem & servitium juraverat, per proditionem eripuit, ut id Magno, Daniæ regis fratri, traderet, quem Magnus, Moscoviæ Dux, data ipsi in conjugem fratris filia, Livoniæ regem nominaverat. Sed, castro stratagemate recuperato, Claudius perfidiam capite luit. Ad calendas Julias dictus erat Stetini dies, quo ab imperatoris *Maximiliani Secundi*, *Caroli Noni* Galliæ regis, & *Augusti* Electoris Saxoniæ delegatis arbitris, *Johannis & Friderici* regum controversia disceptaretur. Et nomine quidem Regis Johannis, adfuerunt ibi *Nicolaus Gyllenstierna* Cancellarius, *Georgius Gera*, *Benedictus Gylta & Ericus Gyllenstierna*; conventumque tandem in hunc modum, ut pax & amicitia regnis „ redintegraretur, civibusque commercia ultro citroque li- „ bera essent; de coronis tribus controversia Electorum di- „ judicationi relinqueretur: actionem in Hallandiam, Ble- „ kingiam Scaniam & Gotlandiam intermitteret Rex Jo- „ hannes: Jemtiam & Herdaliam, cum occupatis navibus, „ & centum quinquaginta millibus uncialium, impensarum „ bellicarum nomine, Dano cederet; ipseq; Elfsburgum re- „ ciperet.: captivi liberi dimitterentur, nobilibus utrinque, „

 hære-

„ hæredia sua restituerentur: quicquid Sveones in Livonia „ occupavissent, Imperator Maximilianus redemtum regi „ Daniæ fiduciarium permitteret. Si quid ægritudinis, in „ posterum, inter regna suboriretur, Sex utrinque Senato- „ res, in regnorum limitibus, componerent; aut in arbi- „ trium consentirent, cujus sententia deinceps standum. Pa- ctorum horum transgressori, centum millium aureorum multa constituta. Sinceram prius amicitiam erga Johannem regem præ se tulerat Moscus; eamque ob causam legatos suos ad ipsum expedivit Johannes, quid interim animo agitaverit, malo suo didicerunt legati, inhumanum in modum violati, omnique genere contumeliarum, crudelitatis & feræ barbariei ultra biennium excarnificati. Tum & exercitus ejus ductor *Magnus*, Regis Daniæ frater, 25 millibus militum Revaliam, per 8 circiter menses, obsedit. Spei tamen suæ irritus, discessit, quod non tantum strenue se defenderet Carolus Hindrichson, præsidii Sveonici præfectus, sed & Russos damno sæpe adficeret. Par virtus & fortuna Hermanni Flemmingi fuit, in defensione Vittenstenii. Periere in duabus his obsidionibus novem millia Russorum. Multo tamen miserabilius Moscuæ civitatis fatum fuit, quam irruentes Tartari deleverunt, pereuntibus in ea trecentis hominum millibus. (1571) Germani etiam, qui auspicia Mosci in Livonia secuti erant, ab eo deficere inceperunt; quorum ob defectionem, implacabilem Mosci iram veritus Dux Magnus, & ipse in Oseliam profugit. Detentis violatisque legatis Sveonicis, plures literæ contumeliosæ à Mosco ad Johannem regem pervenerunt, ad quas cum paria responderentur, acerbatis utrinque animis, arma expediebantur. Sveonum militia in Livoniam collecta, Finlandiam vastavit Moscus, nulli sexui aut ætatui parcens. Magnus Dux,

cum duobus filiis, sumta sibi in Livoniam expeditione, Vittenstenum, (1573) octoginta millibus obsedit, castellumque, præsidio prope vacuum, vi expugnavit: Johannem Boy, præfectum arcis, pluresque alios, verubus fixos ad ignem frixit. Inde Novogordiam recedens, Magni Holsatiæ Ducis nuptias, cum nepte sua Maria, celebravit. Ad Ladogam sedecim adhuc millia morabantur, hos adortus Claudius Akeson, sexcentis equitibus centumque peditibus, nam Livones in primo conflictu fugam capessebant, universam istam multitudinem dissipavit; deletis in ipso prælio 7 millibus; omnique impedimento in potestatem redacto. Ad Vesenbergam vero, haud ex sententia res cessit: castello enim oppugnatione aliquoties tentato, plures suorum amisit: (1574) orta inde, inter Germanos Scotosque pedites, dissensione, in qua horum mille quingenti interierunt, ceteri ad Moscum transfugerunt, re infecta, discedere coactus est. Hoc anno supplicium sumtum fuit de Carolo Mornæo Gallo; qui, licet in magno apud regem Johannem honore esset, vitæ tamen ejus insidias struere aggressus est, adhibito in consilium Archibaldo, comite Raduino, nonnullisque aliis Scotis. Propositum ipsorum fuit, Ericum, carcere liberatum, in regnum restituere. Raduinum militaris ad Vesenbergam seditio sustulit; ceteris ignovit Johannes. Hapsaliam, Lode & Leal, ob non soluta sibi stipendia, ab rege Johanne oppignerata, Regi Daniæ 97 millibus aureorum vendiderunt Germani milites. Sed solutio illis maligne expensa, castellaque illa, brevi post, in Mosci potestatem redegit Myrchita Romanovicius, (1575) absque respectu fœderis, quod duci suo, cum rege Daniæ, erat: Osiliam insuper & Dagön diripuit. Inter Finlandiam tamen, & Novogardensem ducatum inducias, in biennium, pepegit, ut meli-

melior sibi occasio esset obsidendæ Parnoviæ. In hujus oppugnatione 7 millia amisit: præsidium tandem fessum, desperatisque auxiliis, se dedit. Sonnerburgensem arcem atque ditionem in Osilia, Daniæ Regis fratri Magno, postquam in Mosci servitium transiverat, eripuit rex Johannes, eumque adfini suo, Magno Saxoniæ Duci, attribuit: Sed hujus insolentia & rapinis in accolas factum, ut Rex Daniæ arcem sibi occuparet, graviter id ferente rege Johanne. Revaliam iterato, quinquaginta millibus Moscorum, (1577) per 7 hebdomadas obsessam, tam strenue defendit Henricus Claudii Horn, ut aliquot millibus suorum desideratis, discedere cogeretur hostis. Polono autem cum Gedanensibus rixante, Moscorum Dux occasioni imminens, maximum Livoniæ exercitum infudit, arcibusque & oppidis Rigensis Diœcesis, ductu suo occupatis, nullum crudelitatis, sævitiæ & libidinis genus in devictos omisit. Ad Vendam quidem evocatum, Daniæ regis fratrem Magnum ignominiose habuit, servis ejus prius trucidatis. Oppidanorum vero corporibus violatis, inde in frusta dissectis, trecentæ circiter matronæ & virgines, quæ cum virorum paucis se arci incluserant, ne impuram istam sævamque libidinem ante necem suam ab hoste experirentur, subjecto pyrio pulvere, momento temporis calamitatibus suis defunctæ sunt. Virorum vero alii ad ignem tosti, ceteris cor cum lingva evulsum, omnes inhumati, ad bestiarum pastum projecti fuerunt. Sævo hoc spectaculo in præsens satiatus, Plescoviam revertit; recensitamque ibi captivorum multitudinem, pecorum instar, Tartaris vendidit.

Caput. X.

Post Magni Ducis discessum, Henricus Claudii Ingriam diripuit, non sexui non ætati parcens. (1578) Georgius

us etiam Boy, adscito in auxilium Polonico præfecto Andrea Sapietra, sex millia Russorum ad Vendam delevit, omni impedimento, cum 4 machinis bellicis majoribus, in potestatem redacto. Per legatum, fœdus contra Moscum inire, postulavit Stephanus Bathor, Poloniæ Rex, in quod & Johannes Rex consensit; sed ea lege, ut, quicquid extorqueretur, belli jure, victoris fieret. Sequenti anno, (1579) Novogorodiensem atq; Plescoviensem ducatum vastaverunt Sveones, pluribus navibus, pretiosis mercibus onustis, ad Narvam interceptis. Ipsam vero Narvam in potestatem redigere nequiverunt. Jam in procinctu iterum erat Moscorum Dux, (1580) (1581) ut in Livoniam moveret: Sed in ditiones ejus irruens Polonus, cladem late dedit. *Pontus* etiam *Gardius*, cum ceteris præfectis Sveonicis, Kexholmiam, Vesenbergiam, totam Vichiam, cum oppidis & castellis, Vittenstenum, Jamagorodiam, Caporiam, & Ivanogorodiam in potestatem regis sui redegit. Narva insuper expugnata & direpta, septem millia Russorum cæsa fuere. Felices istos successus æquo animo non tulit Polonus, Se ad Pleschoviam belli pericula sustinente, Sveones victoriæ fructum decerpere, conquerens. Illis igitur exclusis, interventu legati Pontificis, pacem cum Mosco fecit, ablata illi restituens, ut, educto ex Livonia præsidio militari, illam sibi cederet, Rigamq; ingressus, per literas & legatos à Johanne petiit, ut occupatam Livoniæ partem sibi restitueret. Indignanter hæc tulit Rex Johannes, exspectavisse se, respondens, adfinem suum, centum viginti quinq; millia solidorum uncialium, Sigismundo Augusto mutuum data, (*) cum hæreditate & dote uxoris, quibus

U tam

****

(*) Donationis specie Sigusmundo istam pecuniam obtulisse,

tam diu caruerit, restituturum potius fuisse, quam arces aut ditiones, non sibi aut Poloniæ regno, sed communi hosti ereptas, repetere. Nunc beneficia minis & injuriis rependi; provinciasq́, maximis belli sumtibus & cruento Marte acquisitas, ab eo repeti, cujus nunquam jure vel pacto ullo fuissent. Septem se annis, belli molem sustinuisse, antequam Poloni arma induissent. Vichiam antea sibi subjectam, Vittenstenum cum territorio suo, pignoris loco, sibi à Polonis inscriptum. Atq́ ut Poloni se non consuluerint, quid in Russia occupare aut relinquere decrevissent: ita nec se rationem redditurum, quid ex Livonia, belli jure ab hoste extortum, sibi retinere aut aliis cedere debeat. Quod hostilia minitentur Poloni, se istis populis imperare, quos ut pridem nulla pericula deterruerint, quin magnam orbis partem victores pervaserint; ita etiamnum eodem esse animo, ut ejusmodi minas nihili faciant; ac ne latum quidem pedem Polonis in Livonia vedere velint, quæ tantis sumtibus totque virorum fortium sangvine constiterit: Flagrante interim Moscovitico bello, triennales primum, illisque finitis, quadriennales induciæ utrinq́ acceptæ fuerunt: Sveonibus, quæ in Livonia occupaverant, omnia retinentibus. Pontus Gardius male fida conscensa navi, cum 18 hominibus Narvæ submersus est; fatiscente scil. illa in medio flumine, ob tormentorum bellicorum explosionem.

Caput XI.

MOrtuo Stephano Bathorio, Poloniæ rege, literas ad Johannem regem dedere regni ordines, (1586) ut pacem

****

ipsoque defuncto, apud ignaros rei, traxisse in debitum, arguatur P. Pascius.

pacem & amicitiam secum conservaret, orantes, si quid minus amicum inter regna subortum fuisset, operam se daturos, ut ex sententia componeretur. Ex illo tempore summo studio adniti cœpit regina vidua, ut Sigismundus Johannis regis filius, nepos suus, rex Poloniæ eligeretur. Parum cordi hæc res Johanni fuit; crebris tamen reginæ literis, & nonnullorum procerum svasu impulsus, legatos suos Ericum Sparre & Ericum Brahe in Poloniam misit, (1587) filium regni ordinibus commendaturos. Nolle interim se, ut filius, Paterni regni hæres, ullis precibus, pactisve iniquis sceptrum Polonicum emat; aut quicquam de regni paterni jure, aut ditionibus imminuat. Si propensos in filium deprehenderent procerum animos, spem facerent, debitum illud remissum iri, quo sibi devinctum erat Poloniæ regnum: sin secus, illud omnino exigerent cum tormentis bellicis, ad Vendam occupatis: expostularentq; , quod, Sveonibus exclusis, fœdere cum Mosco inito, Livoniæ imminerent. Hæc quidem abeuntibus legatis mandata dedit. Filium vero, si Poloniæ regno potiretur, his legibus, coram regni ordinibus, adstrinxit: ne paternum regnum ullo modo, sive in Livonia sive alibi, imminueret: Se mortuo, tertio quolibet anno, illud inviseret, atq; in pari eminentia & dignitate, cum Poloniæ regno, conservaret, constitutis per absentiam suam ex senatu Curatoribus: ex paterni regni reditibus, vectigalibus, armis, documentis literariis, nihil efferri permitteret, in regni Poloniæ commodum & augmentum; sed omnia illa patriæ utilitatibus fideliter reservaret. Patriæ res, negotia, arces, præfecturas, naves, exercitum non nisi indigenis committeret; in religione nihil immutaret: Uxori & filiabus de utroque regno dotem provideret; Primogenitum paterno & hæreditario regno,

secundo genitum Poloniæ præficiendum curaret; sin primogenitus ambobus potiretur, ceteris de utroq; regno ducatus, & ditiones adsignarentur. Si has leges violaturus esset filius, integrum foret civibus ab obsequio ejus recedere: Et, si quis civium svasor vel autor ipsi existeret contra faciendi, perduellionis pœna plecteretur. Ubi illuxit dictus eligendo regi dies, regni proceres, æmulatione, inimicitiis & tantum non professo armorum insultu, comitia turbabant. Factionum capita, hinc Storovii, inde Samoriskius Cancellarius: Regni autem candidati, Fedor, alias Theodorus, Ivanovitz Moscus, Transsylvaniæ Princeps, Maximilianus Austrius, & Sigismundus. Totum dominatum suum, regno Poloniæ per legatos suos offerebat Moscus, si se regem essent electuri. Transsylvaniæ Principem, Stephani Bathoris nepotem, per legatos suos commendabat Turcarum imperator: Maximilianum Austrium, Rudolphi imperatoris fratrem, ingentibus promissis venditabant, Imperatoris, Papæ & Electorum Germaniæ legati. Sigismundo favorem conciliare nitebantur legati regis Johannis, commemoratione meritorum Jagellonicæ familiæ in Remp. Polonicam; tum ex duorum regnorum unione, efflorescentis fortunæ atq; potentiæ utriusque. Alii, repudiatis externis omnibus, indigenam Rastum regem votis suis exposcebant. Transsylvanos nemo fere tanti æstimabat. Qui Mosco favebant, aliorum sententiis abstracti, candidatum suum destituerunt. Meliores omnes atq; eminentiores in Sigismundum propendebant, materno sangvine Polonum, Jagellonæ stirpis surculum, & potentissimi regni hæredem: quo electo, Poloniæ debitum, tum & simultates inter utraq; regna aboliri possent. Horum intuitu, ab Archi-Episcopo Gnesnensi Camicovio, in comitiis prope Varsavi-

saviam campestribus, rex renunciatus est: Publicæq; supplicationes & vota pro felicibus ejus auspiciis nuncupata. His acerrime obnitens factio Storoviana, & ipsa Maximilianum regem dixit, & brevi post armatum in regnum introduxit. Ceterum Sveonicis legatis sequentes conditiones propositæ fuerunt, Sigismundi nomine confirmandæ. Sigismundum nempe electum Poloniæ regem, Patri in hæreditario regno successurum: fœdus & unionem inter utraq; regna conservaturum: Livoniam Poloniæ adjuncturum: debitum centum viginti quinque uncialium, omnemque maternæ dotis atq; hæreditatis actionem in Ducatum Baresanum, Rosanum atque Foggianum, cum tormentis bellicis, ad Vendam occupatis, regno Poloniæ remissurum. Regni jura & privilegia sarta tecta conservaturum: indigenis Polonis, Lituanisque munera & dignitates collaturum: militi præsidiario in Livonia, de suo, stipendia persoluturum: in limitibus regni Poloniæ, 5 munimenta suis sumtibus erecturum, classem Sveonicam Poloniæ usibus, cum necesse erit, adhibiturum: pacem & concordiam inter illos conservaturum, qui circa sacra & religionem dissiderent: deniq; in Livonia semper mansurum. In has stipulationes legati adsensum præbuerunt; excepta Livoniæ traditione. Tabellarium itaque, ad Johannem regem atque Sigismundum, expediunt Poloniæ ordines, ut istorum adsensum impetrarent: qui cum votis ipsorum contraria retulissent, de alio rege eligendo consultare cœperunt. Quod ne fieret, regina vidua, quæ pro Sigismundo tantopere hactenus laboraverat, omnia bona sua, quæ in Polonia & regno Neapolitano possidebat, in pignus regno Poloniæ transscripsit, cum certa pollicitatione, regis Johannis adsensum, ad postulata ipsorum, se impetraturam. Mox Sigismundum in Poloniam

ad sceptrum capessendum literis invitavit Samoiskius: Ericus etiam Sparre revertens, profectionem, qua potuit, maturabat, omnia apud regem magnifice jactans: qui de filii abitu dubius animiq; anxius, classem tamen 24. navium paravit, filium Gedanum vecturam. Abeuntem interim severe prohibuit, nave usquam egredi, quin potius in patriam reverteretur, ni actionem in Livoniam intermitterent Poloni. Gedanum appellenti, consules primum, inde legati magna pompa gratulatum venerunt: atq; ut legatorum sponsionem ratam haberet, orarunt. Desideriis ipsorum in omnibus, præter Livoniæ cessionem, satisfacturum se respondit Sigismundus. Illis autem & hoc sæpius frustra urgentibus; quia tamen mora omnis rebus præsentibus damnosa erat, eo tandem deventum est, ut præstito juramento regio, cum reservatione Livoniæ in aliud tempus, fidem & obsequium solenniter ipsi addierent. Postquam Cracoviam, non sine periculo, cum legatis pervenisset, ob intuta itinera obsidionemq; Cracoviæ per Maximilianum, factionemq; Storovianam, renovata atq; acriter ab ordinibus agitata fuit de Livonia controversia. (1588.) In præsens tamen ita composita, ut regno solenniter jam inito, Poloniæ tum demum satisfaceret, cum paterni regni potens foret. Peracta hac solennitate, cum exercitu profectus Samoiskius, Maximilianum prope Silesiam ad Dyezenam cæsum, captumq; arci Crasnostaviensi inclusit: Unde postea Aldobrandini, legati pontificis, interventu liberatus fuit.

Caput XII.

Sigismundi electionem ex animo nunquam probaverat Johannes: postquam vero, ut speraverat, ex Polonia nihil auxilii contra Moscum impetrare potuit, filio etiam insi-

gne

gne gentilitium, regni insignibus inserere prohiberetur, facti vehementer pœnitens, secretis ipsum literis admonuit, ut quam primum in patriam reverteretur. Quoq; suspicioni locus non daretur, colloquio mutuo Revaliam destinavit. Induciis cum Mosco ad finem properantibus, subsidia bello gerendo contulerunt ordines. Instructo sic militari ærario, cum conjuge & filio Johanne Revaliam navigavit. (1589.) Ad condictum etiam adfuit Sigismundus, parentis desiderio obtemperaturus. Quod cum senatoribus innotuisset, discessum istum multis dissvadere conati sunt. Moscus etiam, hunc regum conventum accipiens, auro Tartaros induxit, ut in Poloniam irruerent. Turcarum præterea imperator, Cossacorum direptionibus irritatus, infesta versus Poloniam signa movebat. Subito igitur revocatus Sigismundus, parentem ægrum, animiq; anxium reliquit: qui, militia pro tempore ordinata, decretaq; ad Moscum legatione, domum & ipse revertit. Convenere igitur Comes *Axelius*, *Nicolaus Bielke*, & *Christiernus Gabrielson* cum Mosci legatis, *Javana Federovicio*, *Demetrio Javanovicio* & *Fendelino Drusemino* prope Narvam: qui, principio statim, nomine Magni Ducis, pacem perpetuam cum magna argenti summa offerebant, si Narvam, Ivanogorodiam, Coporiam atq; Kexholmiam, proprium & ab avis majoribusq; relictum patrimonium Magni Ducis, restituere Rex Johannes vellet. Negantibus hoc legatis nostris, in duos menses prorogatæ induciæ: quibus elapsis, irrito iterum colloquio de pace actum, & adpropinquans cum ingentibus copiis Moscorum Dux, Ivanogorodiam deditione cepit. Igitur, ne commeatu intercluderentur, relicto Narvæ præsidio, Vesenbergam tenderunt nostri, qvos insecuti Tartarorum aliquot millia, interceptis impedimentis, Alen-

tar-

tarchiam vastaverunt. In Finlandiam etiam irrumpens agmen aliud, prædam cum capitivorum grege abegit. Narva inde octo castris circumcessa, admotisq; inusitatæ magnitudinis tormentis, muros dejiciebant Mosci, ruinisq; acriter subeuntes, à propugnatoribus rejiciebantur. Servata urbe, dimidia fere præsidii pars, tormentorum ictu, sagittisq; venenatis absumta. Imminente inde acriori oppugnatione, Carolus Henricson, desperatis auxiliis, attritoq; præsidio, resistendi impar, omnium consilio, cum Ignatio Tatisovio & Drusina Penselino, ita pactus est: ut Coporia & Ivanogorodia, deducto prius præsidio, & instrumentis bellicis deditis, obsidionem solverent, Narvamque Sveonibus liberam permitterent. Acceptata hac conditione, Magnus Dux Ivanogorodiam ingressus est; Sancitisq; in annum induciis, cum exercitu suo domum revertit. (1590.) Pacato hæc animo non tulit Rex Johannes, locorum istorum amissionem perfidiæ senatorum quorundam imputans. Et quia longo tempore, inter se fratremque Carolum simultates, istorum maxime instinctu, exstitissent, reconciliata cum ipso gratia, senatores hos *Ericum Sparre*, *Hogenskildum Bielke*, *Claudium Achatii*, *Gustavum Baner*, *Stenonem Baner* & *Turonem Bielke* officio movit. Inde in comitiis coram regni ordinibus, graviter questus est, se indignis modis ab „ ipsis circumventum, qui nihil non egissent, quo, ex„ stirpata familia Gustaviana, regno ipsi potirentur; atq; „ ne unionis hæreditariæ extarent documenta, Cancella„ rium actis publicis spoliassent: qui autores fuissent ejus„ modi constitutionum, quæ in certam regum civiumq; „ perniciem tenderent: qui odia & inimicitias, inter se & „ fratrem Carolum, proseminassent: qui filii Sigismundi „ abitum maligne procurassent, Sibique, ni consentiret,

„ mi-

minari ausi fuissent: quique ad Livonicam expeditionem „ contumaces reddidissent milites; aliisq; oneribus cives „ gravassent. Scelerum istorum audaciam aversati ordines, nullum sibi cum istis commercium intercessurum spondebant. Exeruissetque se acrius in istos indignatio Regis, ni filii Sigismundi intercessio iram mitigasset: Cujus precibus licet pœnam remisisset, ignoscere tamen ipsis non potuit, antequam lecto lethaliter decumberet. In comitiis hisce, bello necessaria ab ordinibus provisa: Sigismundo etiam, & stirpi ejus masculæ, regnum confirmatum fuit, designato pupillis principibus tutore ex proximis agnatis. In favorem præterea domus Gustavianæ, ad fæminas etiam extensum jus successionis, deficiente prole mascula. Tam grata civibus Gustavi memoria fuit, ut ingratos se existimarent, nisi in illa stirpe, etiam sequiori sexui, sceptrum conservaretur. Suscepta itaque utrinque pacis tractatione, viginti annorum inducias obtulit hostis; non quod ratas istas vellet, sed, ut spe otii, ad subeundum prœlium, militem nostrum redderet contumacem. Quod & eventus ipse comprobavit. In factiones quippe coivit miles, tribunisque & præfecto summo Georgio Boij, Ivanogorodiam obsidenti, vim paravit, ut hostem pacis criminando. Ad hoc insolentior Moscus, mora impatientes ludificabatur. Missa igitur obsidione, hiberna, in ditione regis sui, per vim ceperunt, tribunis prohibere non audentibus. Nonnulli, in patriam revertentes, rumorem sparserunt, hostem pacis cupidum esse; sed obstare regis fratrisque Caroli aversionem. Civium inde in regem querelæ, quod diutinis belli sumtibus, ob ejus pertinaciam, exhaurirentur: Senatores etiam ideo periclitatos, quod pacis consilia suggessissent. Hisce vehementer commotus Rex Johannes, literis suis publicis

omnibus palam fecit, quomodo studium cogitationemque omnem eo contulerit, ut honestam pacem ab hoste, vel invito, extorqueret: divinam inde vindictam illis imprecatus est, qui falsis criminibus innocentiam suam pulsare ausi fuissent. Habitis inde novis militum delectibus, *Mauritium Grijp* præposuit; (1591) qui tamen, maximam partem, in expeditione, Novogorodiam versus, tempestate, hiemisque sævitia interierunt. Cum & brevi post Mauritus morte decessisset, in locum ejus suffectus *Claudius Flemming*, parva manu, sex millia Russorum, in ditione Plescoviensi, delevit. Tartari etiam, regi Johanni fœderati, ad ipsa urbis Moscuæ mœnia, irruptiones & cladem protulerunt. Magnaque spes Johanni fuit, se bello diutino finem brevi impositurum. Quod tamen gaudium fata ipsi invidebant. Adversa quippe valetudine correptus, cum aliquamdiu decubuisset, ægritudine & curis confectus, ætatis anno quinquagesimo sexto, decessit: (1592. 17. Novemb.) Princeps facilis, splendidus, doctus, disertus, multarumque lingvarum callens. Ex Catharina Jagellona Sigismundum & Annam; ex Gunnila vero, Axelis Bielke filia, Johannem, O-Gothiæ principem, sustulit.

Caput XIII.

UBi Sigismundo adversa parentis valetudo innotuit, Patruum Carolum, ut regno, si quid parenti humanitus contingeret, se absente, consuleret, tum & senatoribus, si quid in ipsum deliquissent, ignosceret, per literas obtestabatur. Utrumque Carolo curæ fuit. Senatoribus enim illis delictorum veniam fecit, accepto prius fidei & obsequii juramento. Senatus inde decreto, *regni*

Gu-

Gubernator constitutus, nepotem Sigismundum, de parentis sui obitu, certiorem fecit; monuitque, ut, ante discessum suum è Polonia, remp. ita ordinaret, ne quid turbarum, se absente, oriretur: diligenter etiam caveret, ne Esthoniam Polonis addiceret: Urbium arciumque præfectis mandata se dedisse, ne ulli mortalium, se & senatu inconsulto, istas permitterent: pacem vel inducias cum Mosco iniret, ne gravi sumtu cives diutius adfligerentur. Quorum omnium vota & desideria sint, ut singulorum jura & privilegia, regia confirmet fide, de religione Evangelica omnibus caveat: Reginis viduis, fratri Johanni & sibi dotem, ducatus & ditiones suas regio diplomate stabiliat: fugitivorum Gustavi, Olai & comitis Axelii calumniis fidem non habeat. Redditæ postea literæ Sigismundi, ordines singulos amanter compellabant, Patruo Senatuique parerent, quousque ipsemet reverti posset: tum enim singulorum desideriis satisfacturum: Regni interim rationarium mittant, quo de vectigalium & redituum dispensatione iniri ratio possit. Classem etiam Gedanum expediant, quæ se in patriam sit vectura. Singula Ordinibus grata fuere: sed de religione, ambiguam lubricamq; cautionem non potuerunt non suspectam habere. Indicto igitur Upsalam concilio, sacram scripturam, Concilia Universalia, & Augustanam Confessionem genuinam adprobarunt: Liturgiam, universumque sacrorum adparatum, quem Divis humana tribuit superstitio, condemnantes. Hæreticis & publicæ quietis perturbatoribus, conventicula interdixerunt; morum censuram & disciplinam emendarunt: Ecclesiasticisque muneribus moverunt, quotquot Evangelicæ doctrinæ professores non essent: Decretis hisce subscripsere Dux Carolus, Senatores regni, Episcopi & presbyteri trecenti sex, pro se & absentibus. Senescente an-

no, in patriam revertit Sigismundus, cum legato Pontificis Francisco Mala Spina, & Fabiano Quadratio, presbytero Jesuitico. Ante coronationis solemnia, instanter sollicitarunt Ordines, ut de regni jure, privilegiis & religione singulis caveret Sigismundus; conciliumque Upsalense ratum haberet. Spe ambigua diu elusi, Ducem Carolum orant, ut, autoritate sua, Sigismundum officii admoneat. Nec tamen ille quicquam efficiebat, obnitente legato Pontificis. Ita enim Sigismundi animum is occupaverat, ut concilium Upsalense irritum, Archi-Episcopum Abrahamum & Ericum Scepperum, hostem utrumque Liturgiæ, remotos, templaque Catholicis concedenda vellet & urgeret. Tum & ille Mala Spina Sveonibus persvadere conabatur, ut Sigismundo, sine ulla juramenti fideiq; mutuæ religione, regnum traderent; ejusq; in gratiam, Catholicæ religionis libertatem in regno permitterent. Inter istas duorum fere mensium altercationes, cum nec Sigismundus desideriis ipsorum satisfacere, nec illi jure suo cedere vellent, jam non amplius supplices, sed libertatis suæ memores, Duci Carolo regnum deferunt, superstiti & unico, jam regis Gustavi filio, patriæque vindici. Nefas tamen ille duxit, quod patris testamento nepoti deberetur regnum, quantumvis oblatum, recipere. Hic frustrati, ad Johannem, Sigismundi fratrem, animum adjiciunt. Sed & illud consilium, Caroli Senatusq; prudentia, discussum. Viso igitur, propositi tam tenaces Sveones, Sigismundum monuit legatus, ut pertinacibus id gratificaretur, quod pro lubitu postea rescindere posset. Neq; enim ad præstandam Hæreticis fidem teneri. Sveonibus igitur stipulantibus, regia fide & „ juramento recepit: Se omnes cives regni sui Paterni, di- „ vites & pauperes, natos & nascituros, claros & non cla-

ros,

ros, jure & æquitate defenſurum, ſecundum leges re- „
gni ſcriptas, ſancte ſibi ſemper obſervandas: religio- „
nem, ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum comprehen- „
ſam, conciliisq; univerſalibus & Auguſtana Confeſſione „
receptam, & in Synodo Upſalenſi adprobatam, in toto „
regno inviolatam conſervaturum; neminemque reip. „
& Eccleſiæ muneribus, aut ſcholaſticis functionibus ad- „
hibiturum, qui ejus non ſit religionis: Patrui Senato- „
rumque conſilio, regnum adminiſtraturum: nulli ex- „
traneo caſtella aut Reip. munera commiſſurum: regni „
opes, reditus, vectigalia, arma, extra Patriam non a- „
vecturum, nec limites ejus vel patrimonium imminui „
permiſſurum: Civium lites in Poloniam non evocatu- „
rum: nec exactionibus novis eos gravaturum: Singu- „
lorum privilegia & immunitates confirmaturum: Omnes
denique clementia & amore regio proſecuturum. Sin- „
gula hæc ita rata ſanctaque habiturum, ut Deum animæ „
ſuæ propitium cupiat. Hæc prout juraverat, ita publico in-
ſtrumento ordinibus ſtabilitavit. (Anno 1594. 19. Febr.) Patruo deinde atque fratri Johanni, tum reginis viduis, ducatus, ditiones & dotem, equeſtri ordini, conſveta privilegia; Epiſcopis, Presbyteris Evangelicis, ceterisque civibus immunitates ſuas confirmavit. In ipſa vero coronationis ſolemnitate, magno utrinque ſtudio, lis agitata; morene & jure antiquo, inaugurationis ceremonias perageret Archi-Epiſcopus, an vero legatus Pontificis? Hujus dignitatem adſerente rege & regina, illius vero jus defendentibus ordinibus: quorum ſtudiis tandem concedens Rex, Archi Epiſcopum Abrahamum (hominem non Catholicum averſabatur) ad hoc munus obeundum admiſit. Jn eadem feſtivitate, cohortes aliquot Polonæ, in cædem ducis Caroli, ſubornatæ fuerunt. Eidem etiam fini, lu-

 dic-

dicrum quoddam exhibituri erant, larvati gladioq; accincti aliquot Itali. Sed detectis, per Hieronymum Strozium, insidiis, Dux periculum id evitavit. Horruere multi, ad tale novi Regis auspicium: Sed juramenti ejus sanctitatem reputantes, feliciora quæq; consecutura augurabantur. Et erat sic satis libertati, atq; securitati omnium provisum, nisi Sacramenti sui religionem temerasset Sigismundus. Papisticis enim doctrinis à tenero imbutus, Mala Spinæ etiam, atq; aliorum assiduis sollicitationibus impulsus, juramenti sui fidem tanti non reputavit, ut, propagandæ in patria catholicæ superstitionis gratia, violari non deberet. Ita concionatoribus Jesuviticis templum arcis attribuit; eisq; ludos aperiendi, in pluribus aliis locis, potestatem fecit. Euangelicis insuper præconibus, injurias atque insolentiam, publice in templis, irrogari permisit. Præfecturam Holmensem, armamentarium & classem *Erico Brahe*, homini catholico, tradidit. Hac dissensionis succensa face, in Poloniam recessit. Quorsum hæc evasura essent, quum facile perspicerent Senatores, Ducem Carolum exorarunt, ut fiduciarium regimen in se reciperet. Gravate ille precibus eorum adsensus est, quod exhaustum esset ærarium, ærisq; alieni ingens summa conflata, bellum insuper Moscoviticum Patriæ incumberet. Ut tamen instanti periculo succurreret, Jesuvitas templis & scholis ejecit; Ericum etiam Brahe officio movit. Et ne sine certa gubernatione fluctuaret regnum, ordines Sudercopiam convocavit (A:o 1595.) Renovatum ibi fidei obsequium in Regem; Religioni Evangelicæ cautum, ejectis Jesuvitis; Carolus regni Gubernator constitutus, ut, absente rege, curam ejus gereret, eique hoc nomine obsequium ab ordinibus addictum. Cautum insuper, ne civium lites in Poloniam traherentur; sed si

quis

quis ſententiæ non adquieſceret, in regis eam differret reditum. Candidati, per ambitum & ementitas commendationes, regni munera non invaderent; ſed jure & ſuffragatione ordinum niterentur: judices provinciales rerum dijudicatarum acta Cancellariæ inferrent. Hiſce comitiis qui per contumaciam abfuiſſent, eorumque decretis repugnarent, loco moverentur. Videbatur ſic Patriæ ſtatus in tranquillo futurus: atque cum diuturnum, licet brevibus interdum induciis intercalatum, cum Moſco bellum, per legatos ſuos, compoſuit Sigiſmundus; ea quidem conditione, ut Kexholmiæ reſtitutione, liberoq; commerciorum uſu, Narvæ atq; Revaliæ Ruſſis conceſſo, pax fida & ſecura deinde utrinq; ſervaretur: ſed concuſſus magis eſt procerum quorundam malitia, qui libidinem ſuam, decretis Sudercopenſibus perſtrictam, videntes, comitia iſta apud regem calumniabantur. Nec difficilem aurem præbuit, qui & ipſe decreta iſta abolita cupiebat, utpote deſtinatis ſuis contraria. Publicatis igitur mandatis, irrita ipſa pronunciavit: miſſiſque legatis ſuis *Erico Brahe*, *Arvido Guſtavi*, *Stanislao Dzialinsky*, *Stanislao Czykonsky* & *Nicolao Sapiba*, Ducem Carolum, cum regni ordinibus, Majeſtatis læſæ poſtulavit: quod contra mandatum ſuum jura regni invaſiſſet: comitia indixiſſet: leges novas tuliſſet: monetam ſuo nomine procuſiſſet: tributa civibus impoſuiſſet: fidos regis miniſtros loco moviſſet: arces & præfecturas ipſis ademiſſet: pluraq; alia patraſſet, quæ indignationem regis mererentur, ni matura ſubſequatur emendatio. Legatis iſtis hæc repoſuere ordines: Gratiſſimum ſibi eſſe, quod regis commodo invigilarent: Ceterum, quod regni legibus & juramento ſuo facere teneretur, ſe exequentes, à Poloniæ proceribus, læſæ Majeſtatis inſimulari, non amicitiæ ſed hoſtilis prope inſolentiæ eſſe. "

Videri

„ Videri etiam Polonos ſui perquam immemores, qui „ hoc in Sveonibus damnarent, quod ſibi, tanquam legitimum, adſeruerint, rege præſente atque etiam invito, comitia celebrando. Autoritatem potius ſuam interponerent, quo, miſſis ſuſpicionibus & pravorum conſiliis, jura regni & juramentum ſuum Rex non violaret: In ſveonum obſequio & fidelitate nihil deſideratum iri. Criminationibus vero Carolus & ordines ita „ reſpondebant, ut intelligere facile poſſet Sigismundus, „ Patruum regni jura non invaſiſſe, gubernationem tantum, regni ordinibus inſtantibus, acceptaviſſe. Comitia vero, rege abſente, aut Tyranno, à Gubernatore „ & ordinibus indici, antiqui juris eſſe, quod ingratiis „ ſibi eripi non ſint paſſuri. Gratiam equidem ſe, non „ indignationem meruiſſe,' quod in comitiis illis, pro „ ſtabiliendo imperio ejus, diſſidiis tollendis, patriæq; periculis avertendis, tam ſalubria decreta condiderint, ut „ præter meritum arguatur, fidei & obſequii dememiniſſe. „ Sed, ſi quis jurisjurandi ſanctitatem profanaſſe ſit dicendus, eum profecto Sigiſmundum eſſe, qui pactis toties „ diſceſſerit, quæ tamen ſubditos ultra non adſtringunt, „ quum ab rege conculcantur. Neq; enim ſceptri ceſſionem, imperanti jus tribuere, leges, pacta & promiſſa „ impune abolendi, ſed ad fidem mutuam & amorem „ conſtringere. Nihil cives oneribus gravatos, ſed ſtipendiorum militarium ſolutionem, dotemq; Principis „ Annæ ſponte contuliſſe. Prædia quædam publica civibus oppignerata, quæ ſi reſtitui cupiat, æquum eſſe, „ ut Reip. debitum ſolvat. Vectigalium redituumque „ maximam partem publico uſui impenſam: nonnullam „ etiam, æris, mutuo dati, nomine, Ducem recepiſſe: Eorum vero redituum rationes, quas Rex ipſe largitionibus "

bus & donativis profudisset, dissipavissetq; , á duce reposci indignum esse. Monetam principali jure, parentisq; ac fratris consensu, se cudere. Religioni nullam vim illatam; cum pro religione nihil agnoscant, quod sacris literis, conciliis universalibus, Augustanæ confessioni & juramento regio adversetur. Ministros regios injuria non adfectos: tantum Catholicis nonnullis munera adempta, quorum, vigore juramenti regii, incapaces facti fuissent. Literis mandatisq; regiis, quæ juramento ejus patriæq; libertati non adversarentur, omnem reverentiam exhibitam. Talia autem non esse, quæ imprudenti regi mendaciis extorserint scelerati homines, qui, ne legibus interrogarentur, nequitiæ suæ præsidium apud regem quæsiverunt. Ista malefaciendi impunitate permissa, sublatoq; legum auxilio, prædonum latronumq; colluviem singulis provinciis exitio futuram; prout Finlandia calamitatis istius documentum satis exhibeat. Ista reputantem, par esse, regem delatoribus aurem non præbere, sed fida omnia promtaq; obsequia ab subditis & civibus suis exspectare. "Licet vero omnibus nota esset decretorum Sudercopensium æquitas, tantum tamen Polonica effecerat legatio, ut eorum apud multos evilesceret autoritas, Senatorumque multi, sive à Rege illecti, sive per ambitum, singuli provincias gubernandas consequerentur. Hinc contraria per regnum mandata animorumq; distractio. Quibus reprimendis, regis prohibitione insuper habita, Arbogiam convenere ordines: (Anno 1597.) Stabilitisq; ibi decretis Sudercopensibus, Carolo Gubernationem ita confirmavere, ut hostem Reip. declaraverint, quicunq; se opponeret. Hoc consensu perculsi Senatores, qui discessionem fecerant, apud regem vitæ sibi & salutis pericu-

 lum

lum ſtrui querebantur. Qui mox, abrogatam Carolo, gubernationem publico illis mandato tradidit; civeſque in eorum fidem & obſequium adſtrinxit. quatenus indignationem ſuam incurrere non amarent. Duci etiam acerbe interminatus eſt, ne quid moleſtiæ Senatoribus illis crearet: Si contra faxit, equeſtrem ordinem, militares copias, ceteroſque cives omnes regio edicto evocavit, ad opem illis ferendam, vimque ducis propulſandam. Senatores tamen in mandatis his parum præſidii reputantes, in Daniam alii, ceteri in Poloniam dilapſi ſunt. Carolus vero graviter conqueſtus eſt, homines perditos „ in caput ſuum arceſſitos, qui exitium ſibi & perniciem „ ſemper machinati fuerint: quibusque, juſtam fratris Jo„ hannis, ſuamque indignationem eapropter promeritis, „ ipſe tamen, in nepotis gratiam, ignovit. Jam eandem „ Tragœdiam ſub alia larva adornare. Maturum proin„ de eſſet, ut ab eorum perfidia ſibi caveat Rex, ne, in „ publicam Reip. & regiæ domus cladem, aliquando ſit eruptura. Commemorata inde Finlandiæ calamitate, regem oravit, ut Flemmingi inſolentiam caſtigaret. Verum, rege ad omnia ſurdo, ſumta in Finlandiam expeditione, turbatores ipſe compeſcuit. Quod, perinde ut cetera ejus in Patriam merita, perſtringens orator Regis Laskius, ut Senatores, in exilium actos, aut carcere in Finlandia detentos, reſtitueret regis mandato, impetravit reſponſum: male ſibi conſcios, pœnamque timen„ tes, ſponte profugiſſe. Ceterum, neque illis neque ulli „ mortalium juris præſidium clauſum; jam etiam patere „ revertentibus.

Caput

Caput XIV.

ITa variis interminationibus, (*) legatorum expoſtulationibus, procerumque nonnullorum impio adniſu, bello præludebatur, quod in Patriæ viſcera erat exarſurum. Conflato quippe è Germanis, Schotis, Ungaris Poloniſque valido exercitu (aulicum tantum comitatum, ſcribit nonnemo) Calmariam adpulit Sigiſmundus: Præfectoque arcis, qui portas aperuerat, in carcerem conjecto, Stegeburgum navigavit. (1599) Adfuere mox tabellarii Ducis Caroli, fidem publicam, obſideſque, colloquium regis deſideranti, petentes. "Vel ſolum venturum fuiſſe, niſi, tanto exercitus apparatu, rex patriam petiiſſet: cujus metu & ipſe milites contraxiſſet: intellecto præſertim, vitæ & famæ quæſtionem eis moveri, qui regno ſibique adhæſiſſent; ceterum illos continuo dimiſſurum, ſi, exautorato exercitu, ſatisfactionem coram arbitris, in comitiis regni, velit accipere. Reſcripſit Sigiſmundus; Hanc regii ſplendoris pompam, quod omnem honorificæ exceptionis cultum intermiſiſſent Sveones, ab Poloniæ ordinibus, ſibi adjunctam, nemini terrori aut moleſtiæ futuram. Recedat Patruus in Ducatum ſuum & Gubernatoris titulum inſolentem, regiæque dignitati contumelioſum, in poſterum omittat. Ridiculum vero, de armato adventu ſuo queri Patruum, cum ipſe prius arma paraverit; claſſem regiam detinuerit; miniſtros regni in ordinem redegerit: peregrinum militem, quum arces, naves, tormenta & exercitus ſibi tradita fuerint, ſe exautoraturum." Deſperata inter regem Ducemque reconciliatione, domum receſ-

(*) Vid. literas Senat. regni Sveon. ad ord. Polon 17 8bris 1608

ferunt legati Brandeburgici, Mechelburgenses & Ansbacenses: Carolus vero, exercitu Stegeburgum propius admoto, ab rege serio exquisivit: amicusne an hostis advenisset? pacem se præoptare, & a fundendo civili sangvine abhorrere. Sed, si deterioribus consiliis inductus Rex, reconciliationem respuat, tantas sibi copias esse, ut militem ejus obterere possit. Nec discessurum prius, quam æquæ utrinque conditiones accipiantur. Non enim de pomis & pyris hic agi, sed Patriæ, Regis atque Principis salutem ac securitatem in periculum adductam. Hisce minis factum, ut Comiti Mauritio, duobusque è nobilitate, potestas concederetur, Ducis atque ordinum caussam apud regem agendi. Horum opera eo res deducta, ut duodecim Equestris militarisque ordinis viris causa, ultro citroque disceptanda, committeretur. Duci crimini datum, quod ditiones regias delectu militum, & frumentationibus exhauriret: Regis commeatum interciperet: præ foribus regiis castra metaretur: & iniquas pacis conditiones efflagitaret. Paratum esse regem, comitia indicere & militem exautorare, si patruus prius arma ponat, captivos dimittat, classem, præsidia & arces sibi resignet. Nec gravate adsentiebatur Carolus, si in regiæ fidei pignus Elfsburgum & Wadstenum, aut classis crederetur, vel Senatores, *Ericus Sparre*, *Gustavus Baner* atque *Thure Bielke* traderentur obsides. Ultimum forsan concessurus Sigismundus; Sed senatores illi, meritorum suorum conscii, alio ipsum deduxerunt. Militari quippe tumultu interrupto colloquio arbitrorum, Lincopiam versus castra movit. Per sancta omnia obtestabatur Carolus, ne fundendo sangvini campum quæreret. Ad quæ iratior „ Sigismundus: se multa satis jam concessisse, quibus si „ non adquiesceret, quod sibi non intermittendum existima-

maret, exequeretur. In remissionem obsequii & fidelitatis hæc accipiebat Carolus, ut ultima tamen experiretur, iteratis precibus obtinuit, ut, libero utrinque commeatu, Marchio Badensis Edvardus litem componeret. Sed cum, sequenti nocte, in castra sua irrupisset regius miles, jam toties irritatus frustratusque Carolus, quod liberum ipsi Rex permittebat, Marti rem commisit. Lincopiæ cum Senatoribus consistente Rege, exercitum ejus, extra civitatem, explicuit *Georgius Farensbeck*, commissaque ad pontem Stangebro pugna, (Anno 1598 28 Sept.) rex cæsus victusque, pacem petere coactus est. Nec denegavit Carolus, quantumvis hostes suos delere potuisset. Senatores in Ducis venere potestatem. Amicitia his utrinque articulis sancita: Regi fides, obsequium, " jusque regni inviolatum esset: quæ Patruus ordinesque " ejus ingratiis patravissent, æterna oblivione deleret, e- " osque amore & benevolentia regia complecteretur. Re- " gni leges, jura, & decreta Comitiorum sancta haberet; " intra 4 menses comitia indiceret, ut per Imperatoris, " Regum atque Principum legatos, civium controversiæ " inter ipsos componerentur. Captivi omnes juri siste- " rentur, usque ad causæ cognitionem. Miles domesti- " cus, accepto commeatu, utrinque exautoraretur; exter- " nus etiam ex regno dimitteretur. Ducis ordinumque " nomen atque fama, regiis literis, adsereretur. Quibus " rite observatis, Carolum arces, castella, classem, in re- " gni comitiis regi redditurum; quibus tamen in regni " civiumque perniciem non utetur. Pactorum horum " transgressorem, Regni ordines armis persequantur. Rebus ita pro tempore compositis, Orebrogiam tendit Carolus. Nihil interim tamen omisit Sigismundus, ut libertati restituerentur Senatores captivi, patruum tamen

inducere non potuit, ut malorum omnium concitatores dimitteret, priusquam regno & sibi de criminibus satisfecissent. Post discessum Caroli, magna Sigismundum tenuit dubitatio, Holmiamne navigaret, ad indicenda, ut receperat, comitia; an rebus fluctuantibus, aliud firmamentum quæreret? Illud quidem temporum ratio maxime svadebat; sed Ducis civiumque, pro retinenda libertate, contumaciam reputanti, vires isti frangendæ pares desiderabantur: utique cum præsidium militare, admodum imminutum, nullis hic delectibus posset suppleri. Consultius igitur visum, ad contrahendum militem, in Poloniam reverti, quo auctus, ad accipienda jussa sua Sveones adigere posset. Conscensis igitur navibus, quæ Holmiam ipsum vecturæ erant, Calmariam navigavit, impositoq; arci præsidio, ventis secundis Gedanum delatus est. Varsavia inde discessus sui causis perscriptis, no„vo in Polonia tumultu se revocatum fuisse ajebat. At„que cum privatæ tantum Civium lites, in comitiis Hol„mensibus, decidendæ forent, posse illas ab æquis arbitris „cognosci, suprema sententia ad reditum suum dilata. „Calmariam interim, Elfsburgum atque Holmiam, se „absente, non impugnent, nec ullam ministris regiis „molestiam exhibeant. Rescripsit Carolus: Ut armatus „ejus in Patriam reditus fuerat terribilis, ita discessum „ejus non minus periculosum omnibus videri: præser„tim, quod vanis prætextibus obveletur: Non meruis„se Sveonas, jam tertium ab ipso deseri. Nec regii pro„missi esse, arcem Calmariensem externo militum præ„sidio teneri, quod, adulto jam anno, supplemento no„vo auxerit. Si regni jura & libertatem tueri cogitet, „supervacuum esse armorum adparatum, nullo civium „detrectante obsequium; Si lubidini suæ hæc paret, Sve-

onas

onas non minus libertatis suæ, quam obsequii memo- "
res futuros. Utique cum in Dania per legatos suos sit "
professus, se pactis Lincopensibus non teneri, Senato- "
rum perduellium causam, Patriæ jure, & ab indigenis "
judicandam; & exterorum hic opem desiderare sit su- "
pervacuum. Edictis & mandatis regiis omnem hono- "
rem habitum iri, nisi convitia & contumelias in Deum "
atq; ordines continebunt. Nihil interim rebus præsen- "
tibus magis conducere, quam ordinum libertatem ac "
concordiam foveri. In dubio rursus patriæ securitas fuit, nec amicum quicquam de Sigismundo polliceri sibi ordines potuerunt, quod contra pacta jurata discessisset; (1599. Febr.) famaque non obscura esset, in Dania & alibi bellum parari. Junecopiam igitur congregati, literis supplicibus obtestantur, ut saluti Patriæ consulat, datam "
fidem servet & quamprimum revertatur; id si non pos- "
set, filium *Uladislaum* mittat, ut sana religione imbu- "
tus, regno paterno idoneus aliquando esse possit. Ne interim querulis tantum literis scribendis convenisse viderentur, securitati publicæ, si quid hostile ingrueret, ita prospexerunt, ut præsidii Calmariensis, rebelliumque Finnorum insolentiam compescendam decernerent; Carolum regni gubernatorem constituerent, eique, suæ & communis salutis defendendæ causa, auxilium addicerent. Elapso postea semestri spatio, cum nihil ad ordinum preces respondere dignaretur Sigismundus, examinato, in comitiis Homensibus, (1599. Jul.) regimine ejus, fide toties violata, pernicioso, innocentiam suam coram toto orbe contestantes, datam ipsi fidem & obsequii devotionem retractarunt. Meruissent profecto delicta ejus, filii etiam & hæredum abdicatione castigari; Gustavi tamen meritis & memoriæ datum, ut *Uladislao* sceptrum defer-

rent,

rent, si intra semestre electionem ratam habiturus esset Sigismundus, filiumque mitteret, in doctrina Evangelica, lingva & moribus patriis sub tutela Caroli erudiendum. Quo insuper habito, regni recuperandi spem, in æternum stirpi ejus præcludendam fore. Quia vero, interregni hujus tempore, humanitus quid Carolo evenire posset, filio ejus *Gustavo Adolpho*, Nepotiq; Johanni tutores constituti, qui ætati eorum & regno præessent. Potuisset familiæ suæ regnum conservare Sigismundus, si locum aliquem precibus ordinum relinquere voluisset. Sed adversus omnia obstinato animo, eo tandem ipsos adegit, ut, quod prius denunciaverant in comitiis Holmensibus, exequerentur, promulgato, in ipsum omnemque posteritatem ejus, perpetuæ abdicationis edicto. (Anno 1600) Exigebat quidem Gustavi testamentum, rationem hic habere principis *Johannis*, Fratris Sigismundi, qui, cum Gustavo Adolpho & Carolo Philippo, in aula Ducis Caroli educabatur; Sed quia metuebant ordines, ne fraternorum odiorum, simultatumque particeps aut memor, ab patruo ejusque filiis, vindictam cum tempore reposceret, miserioribusque regnum, diu afflictum, calamitatibus involveret; tum, quia præsentium rerum difficultates & pericula, virum, armis idoneum, non puerum flagitabant, ei quidem regnum non dederunt; sed hujus loco Ducatum O-Gothiæ, ditionem quondam Principis Magni, Patrui ejus: collocata insuper ipsi in matrimonium filia Caroli, ad arctiorem concordiam ineundam. Juxta grato animo æstimatis periculis & molestiis Caroli, pro salute Patriæ, ipsum in successionis jus adoptarunt, quod deinde in filium G. Adolphum hæredesque masculos transferre posset. Substituto interim Johanne, O-Gothiæ duce, si stirps Carolina deficeret. In comitiis iisdem,

reno-

renovata sunt judicia regum prætoria, longo tempore intermissa: bonorum etiam regalium lustratio indicta; certaq; militum manus cum stipendio provinciis singulis præscripta, ne novis subinde delectibus exhaurirentur indigenæ. Lubecensibus præterera commerciorum usus interdictus, quousq; res per arbitros componerentur. Ad Moscum etiam decreta legatio, pro confirmando fœdere oblato, cujus postea dissolvendi causa, Monachum Griscam, ad consequendum Moscoviæ dominatum, juvit Sigismundus.

Caput XV.

Abdicato ita solemniter Sigismundo, ab ordinibus petiit Carolus, ut judicio sisterentur Senatores captivi, quo vel innocentes dimitterentur, vel scelerum manifesti pœnas luerent. Lecti proinde judices, ex Senatorio & Equestri ordine 38. Equestris militiæ præfecti 24. Peditum Centuriones 21. Civitatum Consules & Consilliarii 25. Præfecti territoriorum & legum consulti 22. Rusticorum ex toto regno deputatorum 24. cum 4. scribis, qui omnes numerum Centum quinquaginta octo complebant. Quo vero, sine ulla perturbatione, judicum subsellia occuparent, à juramento, fide & obsequio, quo sibi successoribusq; suis obstricti erant, ipsos absolvit Carolus, fide regia literisq; confirmans, se judicio acquieturum: qualemcunq; essent laturi sententiam, ejus nomine, nec se, nec posteros suos odium aut vindictam exercituros. Singuli inde legum codicem manu tangentes, per animæ salutem jurarunt, se hanc causam, liberis conscientiis, citra amoris odiive aut ullius sortis respectum judicaturos, plane ut coram Deo omnibusq; Christianis

rationem reddere vellent. Accusationis capita præcipua fuerunt: Quod odia & dissentiones inter Regem Johannem fratremq; Carolum concitavissent, aliaque multa perfide egissent; quorum nomine pridem in comitiis Holmensibus damnati. Quod à concilio Upsalensi deficientes, Liturgiam promulgavissent: Juramentum Senatorium, quo regi & regno fidem obstrinxerant, violavissent; quod fidem Duci Carolo, verbis, literis, juramentis datam fregissent; nomen ejus, honorem & famam apud Sigismundum, aliosque Reges & Principes, calumniis & mendaciis impiis læsissent; vitæque ejus insidias struxissent: Sigismundum ad Patruum, ordinesque persequendos, proscribendosque atque arma Patriæ inferenda impulissent: Regem Daniæ & Lubecenses in armorum societatem pertrahere laboravissent: tumultus & dissentiones civiles in Patria concitavissent: Violatis decretis Sudercopensibus, regni ordines, pro salute patriæ Arbogiæ congregatos, armis adoriri decrevissent: Exercitum, non dum impetratis à Sigismundo Gubernationis mandatis, solicitavissent: rebellionis Finlandicæ autores extitissent: merces Ducis Caroli, civiumque in portubus Germaniæ intercepissent: frumentum commeatumque in sævissima annonæ caritate importari prohibuissent: reconciliationem inter Sigismundum Carolumque, Stegeburgi & Lincopiæ interrupissent: nihil denique omisissent, quo, Sigismundo Caroloque in exitium præcipitatis, regno interverso ipsi potirentur: Omnibus ista, sed plura adhuc *Erico Sparre*, crimina intendebantur, nempe: quod legatione sua in Poloniam perfide defunctus fuisset; actionem cum Dano, de regni insignibus & jurisdictione in Lapponia, prævaricatus fuisset: acta publica regni ex Cancellaria furtim sustulisset. Quibus omnibus probandis, plu-

plurimæ ipsorum literæ, diverso tempore & locis scriptæ, atque post captivitatem illorum hinc inde conquisitæ, proferebantur. Illi autem, ad subterfugiendum judicium, judices, tanquam legitimos, agnoscere noluerunt: quod in comitiis Jenecopensibus & Holmensibus, præjudiciis causam condemnavissent: suam præterea causam cum regis conjunctam esse, quo non comparente, inique actionem suscipi. Ea etiam conditione in Ducis potestatem venisse, ut ab exterorum Regum & Principum legatis controversia dirimeretur. Respondit Carolus, leges Patrias non admittere, ut totum quis judicium rejiciet: tres tantum à reo repudiari posse, cum magna eorum pars consangvinitate, adfinitatibusque ipsis sint conjuncti, eorundemque criminum rei; sed quibus supplicibus ignoverit. Ad externos vero judices, Civium causas devolvere, Gustavi testamento prohiberi, qui filiorum etiam suorum & principum lites, ordinum & civium cognitioni subjecerit. Nullo ordinum præjudicio ipsos gravatos, cum causas tantum ipsorum cum tempore se cogituros in comitiis istis decreverint. Frustra etiam regis absentiam obtendere cum antea supplicaverint, ne suæ & regis actiones miscerentur: jam autem rationem reddituri sint, non delictorum Sigismundi, sed propriorum scelerum. Cum victor hostes suos internecione delere potuisset, illis scilicet spem faceret, perfidiæ ipsorum ab exterorum regum legatis cognoscendæ! Et si vel maxime fecisset, non se amplius teneri, postquam Rex ipse pacta violavisset. Quid vero auxillii ipsis in exteris legatis, cum secundum Patriæ leges, eadem sceleris pœna reis sit subeunda, quibuscunque tandem judicibus sententia perferatur? Ceterum si judicium porro detrectent, se militari jure in ipsos acturum, qui hostes, & durante conflictu, in potesta-

 tem

tem ſuam veniſsent. Igitur cum præter vana judicii effugia nihil in defenſionem adfereretur, judices, præſentibus legatis Ducis Holſatiæ, *Guſtavum Baner*, *Ericum Sparre*, *Stenonem Baner*, & *Turonem Bielke*, perjurii perduellionisque convictos, lege Majeſtatis, honore, vita, bonis condemnarunt. (Anno 1600 17. Maij.) Sententiæ univerſi ordines ſubſcripſerunt. Alteram etiam, in *Arvidum Erici & Axelium Kurk*, in Finlandia latam, hic ratam habuerunt: Ceterique nobiles Finnones, qui rebellionis autores vel miniſtri fuiſsent, hærediorum parte mulctati, civesque ejusdem criminis rei, ſtipendia ad tertiam bonorum partem amiſere: Sacerdotes etiam, ſceleris ſponte participes, infamia notati, ceteri pecuniaria mulcta caſtigati fuerunt. *Claudium* vero *Bielke*, *Chriſtiernum Claudii*, *Ericum Abrahami & Georgium Poſſe* ſupplices, ordinum precibus condonavit Carolus: *Hogenskildi* autem *Bielke & Caroli Guſtavi* cauſam, in aliud tempus diſtulit. Triduo poſt latam ſententiam 4 iſti ſenatores, in foro Lincopenſi capitis ſupplicio adfecti ſunt, miniſtrante Carnifice, quem Gedano ſecum adduxerunt, ad plectendos omnes eos, qui ſecuritatis ſymbola, quorum centena aliquot, typis exſcripta, attulerant, non haberent. Atque ita ſangvinem ſuum eo loco fuderunt, ubi tot hominum millia, funeſtis eorum conſiliis, vitam & ſangvinem profudiſsent.

Caput XVI.

AD paternum regnum non jure amplius, ſed armis recuperandum, privatæ ſatis Sigismundum cauſæ impulerunt. Proceribus tamen Polonicis cordi magis Livonia fuit, utpote quam, in Palatinatus diviſam, ſinguli ſibi deſtinabant. Horum itaque ſvaſu, cum delecta manu,

nu,

nu, Georgium Farensbeckium misit, qui provinciam totam ditionis Polonicæ faceret; tametsi, inscia Rep., privatorum tantum studio, bellum hoc susceptum fuisse scribat Piasecius. Ei celeritate, quanta potuit, occurrens Carolus, sua defendit, & plura adhuc occupavit, *Esthoniam* scilicet totam, cum *Parnovia*, *Volmaria*, *Venda*, *Dorpato & Kokenbusio*. Ad Kexholmiam vero postea infeliciter pugnavit, (Anno 1601.) amissis 9 circiter millibus militum: cum in fessos & longo itinere fatigatos, lectissimum Polonicæ militiæ robur effudisset Chokevicius. Cœptam inde *Rigæ* obsidionem, ob fœdam anni tempestatem, solvere coactus, terrestri itinere per Lapponiam domum revertit. (1602) Licet vero assiduis armorum curis distineretur, multam tamen ad Remp. ordinandam adhibuit diligentiam. Regni senatum adcurate legit, eique svadendi & consulendi, non imperandi, partes permisit. De censu prædiorum publicorum, de vecturis, de ponderum & mensurarum æqualitate; de litibus in inferiori foro dijudicandis, priusquam ad aulam devolverentur; de peregrinis ultra sex septimanas, commerciorum causa, in civitatibus non tolerandis, nisi jus civitatis adquirere vellent; de legibus emendandis, de rerum judicatarum rationibus, archivo inferendis, multa salubriter constituit. Circa sacra etiam rigidiorem emendationem desideravit, omnes Ceremonias religionis abrogari cupiens. Sed intercessit cum ceteris Archi-Episcopus Olaus, quod nimia ista severitas simpliciorum animos percelleret, credentium totum Christianismum sublatum iri, si nihil ex antiquis ceremoniis retineretur. In Upsalensi tamen Academia, rege jubente, blasphemias suas *Calvinisticas* evomuit *Forbesius*, Theologus Schotus; sed cum tales concertationes plurimorum animos acerbassent, re-

 gio

gio mandato prohibitæ fuerunt. In comitiis Norcopensibus (Anno 1604 28 Mart.) successionis juri sponte renuncians Dux Johannes, gravi oratione ad capescendum regnum patruum hortatus est. In iisdem comitiis, perduellium Senatorum filiis, in memoriam paternorum delictorum, spes omnis Senatorii ordinis ademta, nisi singularibus meritis regiam gratiam obtinerent: ceteris omnibus profugis delictorum venia facta, si intra 6 menses in patriam reverterentur. Uterque Georgius Posse, Ericus, Axelius, & Gustavus; comites Johannes, Ericus & Axelius Gyllenstiernii, fide publica ad agendam causam suam citati: qua si caderent, publicatis bonis, ex regno discederent; adversus citationem contumaces perduellium numero futuros, uti & omnes eos, qui consiliis ipsorum adhærerent. In peregrinis Academiis operam literis navantes, revocati omnes, ut exhibita studiorum ratione, regi regnoque fidem & obsequium addicerent. Pro delectu 9 millium militum pecuniarium subsidium promissum: Vecturæ etiam publicæ certa pecunia redemtæ, ne tot oneribus exhaurirentur coloni. Ad sublevandam rem monetariam, mercatoribus injunctum, ut decimam rerum exportandarum, in argento rudi aut signato, officinæ monetariæ inferrent, ut tantundem monetæ minoris reciperent. Cautum insuper, quod fundi beneficiarius, supra legitimam à colono exigens, beneficio privaretur. Regibus item & principibus potestas ademta, regni prædia, in quenquam æternæ possessionis jure transferendi: permissum vero bene meritis in feudum conferendi, quod tamen ab insequentibus regibus confirmari semper debeat, & deficientibus hæredibus masculis, ad regnum reverti. Gustavo Adolpho patri succedente, Sudermannia, Nericia & Vermelandia fratri ejus

Ca-

Carolo Philippo decretæ. Filiæ etiam regiæ successionis jus concessum, extinctis masculis, ita tamen ut maritum accipiant, è Gustavi familia oriundum. Neminem interim regis aut principis jure gavisurum, qui una cum uxore, Evangelicæ non sit religionis. Ducatum insuper amissurum, qui ordinibus inconsultis uxorem duxerit. Ad sceptrum non admittendum, qui aliud regnum acceptaverit: prohibitumque imperanti, aliud regnum aut ditiones acquirere, nisi fidem dederit in Patria se semper mansurum. Regi & principibus minorennibus, ubi decimum octavum ætatis annum, dimidiam administrationis partem, ubi vero vigesimum quartum expleverint, totam permittendam. Omnes denique, ab Evangelica religione deficientes, proscribendos, eorumque bona agnatis addicenda, decreverunt ordines. In proximis inde comitiis (Anno 1605. 4. Maij.) Hogenskildi Bielke causam cognoverunt, qui, præter commercium cum ceteris perduellibus, insidiasque Duci Carolo structas, ut honoris prædo, in literis suis, ipsum Diabolicum, impium, mendacem, subdolum, tyrannum, crudelem, immitem, persecutorem, homicidam; conjugem vero ipsius Jesabellam; liberos propaginem impiam; ministros latronum colluviem adpellaverat. Quæ omnia ipsemet fassus est se scripsisse, ut insanum & amentem, meliusque sibi fuisse, si calamum movere nunquam didicisset. Pronunciatum itaque in convictum atque fatentem, ut vitam, honorem, & bona amitteret. Tempore Johannis & Sigismundi regum, multi filios suos ad Academias Jesuviticas miserant, ingenui cultus percipiendi gratia, qui clanculum in patriam jam revertentes, quo ex ludo prodierant, satis ostenderunt. Inter ipsos quidam Petrus de Petrossa in aulam insinuatus, regem Carolum perfodere est aggressus; sed in ipsis scelerum

lerum

lerum furiis deprehensus, inter exquisita tormenta, animam impiam atque impuram efflavit. Ossa Divæ Brigittæ Filiæque ejus Catharinæ, pretiosis loculamentis inclusa, Wadsteno furtim abstulit Laurentius Râlamb, atque in Borussiam deportavit. Tam sceleratus Joh. Messenius non fuit, quantumvis in eodem ludo eruditus. Zelo enim Patriæ illustrandæ actus, majorum gloriosa facinora comœdiis & historiis juventuti Academicæ exhibuit: pluribusque humaniorum literarum admirationem & amorem instillavit. Dicasterii inde regii Adsessor, noxias Patriæ literas in Poloniam scripsit recepitque, quod crimen inde perpetua carceris pœna Cajaneburgi expiare est coactus.

Caput XVII.


QVia pacem & amicitiam cum Carolo coluit Moscus, ad res ipsius turbandas Monachum quendam Griscam sive Hisco subornavit Sigismundus. Is Jesuiticis in Polonia artibus imbutus, Demetriumque Basilidæ filium se ferens, populari levitate sceptrum consecutus est, legitimusque Princeps Gudenovius in ejus gratiam strangulatus. Ducta inde Palatini Sendomiriensis filia, potentiorum primum odia contraxit. Cumque multa insolenter contra gentis mores patraret, concursu multitudinis in ipso palatio trucidatus est. Mox alius nebulo, surreptis in ipso tumultu Magni Ducatus insignibus, eundemque Demetrium mentitus, pari levitate & perfidia cuncta miscebat. Et, ne cessarent ludibria, tertius etiam impostor, eodem stratagemate principatum invasit: tantamque stulta populi credulitate, auxiliisque è Polonia submissis, potentiam condidit, ut, subacta Moscovia universa, Magnum

gnum Ducem Suskius in ipsa Metropoli sua Moscovia obsederit. Cui liberando 5 millia lectissimorum militum, ductu *Jacobi* Pontison, & *Edvardi Horn*, submisit Carolus: (1608) qui Staravussam, Tiveram, Pereslaviam, Slabodam, Rossloviam, Mitroviam, Uglizum, Casinam & Troizam vi ceperunt; Polonosque, ab Moscoviæ obsidione rejectos, sibi consulere coëgerunt. Auxilium hoc, præter stipendii militaris solutionem, arcis Kexholmensis ditionisque perpetua cessione, remunerari stipulatus erat Moscus. Sed ex angustiis liberatus, promissum perfidia elusit. Bello inde causa, & fœdus atq; amicitia in apertam hostilitatem desiit. Mox enim Kexholmiam vi expugnavit *Jacobus Pontison*, uti & Novogorodiam, munimentis & hominum multitudine invictam habitam. Ad hoc bellum aliud etiam Carolo regi, nulla de causa, per fecialem suum denunciavit Christianus Danus; (Anno 1611 4 April.) paratasq; pridem copias in ditiones Gothiæ infudit. Hostilitati causa prætexebatur, quod Lapporum regem se scriberet Carolus; datisq;, in præjudicium regni Norvegiæ, privilegiis, urbes & castella conderet: Cives etiam Danicos in mari Balthico violaret. Respondit Carolus, Regis Daniæ nihil interesse, quod subditorum suorum se regem scribat: Gothoburgensi civitati, in solo regni sui sitæ, commerciorum libertatem in septentrionali Lapponia, etiam suæ ditionis, nullo cum præjudicio, aut damno accolarum concessisse: Cives Danos nullos à se læsos, illos tantum in ordinem redactos, qui contra pacta Stetinensia, jus belli, auxilia ac commeatum, hosti suo Polono submittere non desisterent. Sibi vero armorum sumendorum longe justiorem causam fuisse: quod regni sui insignibus non abstinuerit Danus: Cives suos in Lapponia læserit; proditores Sveonas foverit; literis

 publi-

publicis subditos suos compellarit; Jacobum Spensium Chiliarchum intra limites regni Sveoniæ, immisso satellitum globo, spoliarit, ipso graviter vulnerato, comitibusque nonnullis interfectis: Denique apud civitates Anseaticas egerit, ne commeatum sibi subveherent; quæ singula tametsi armorum vindictam meruissent, se tamen, ab humano sangvine abhorrentem, ad æquos arbitros provocasse; quorum sententiæ acquiescere adhuc paratus sit. Sin vero libidine sua sangvinem fundere gestiat, faciat, quod omittere non possit. Scit regni subditorumq; suorum defensionem neglectui non futuram. Nihil æquius ad satisfactionem potuit offerri. Nullæ tamen Dano conditiones placuere, de Carolo, Polonico & Moscovitico bello districto, victoriam facilem sibi pollicenti. Elfsburgo igitur Olai Strâle, & Calmaria perfidia Christierni Somme proditis, Ölandiam copiis suis pervasit. Dici vix potest, quantum acerbitatis mœrorisq; perfidia ista Carolo attulerit. Pro tempore igitur collecto milite tumultuario, in campo Rysbyensi castra posuit: Danumque, usitato quondam fortibus more, ad singulare certamen provocavit, ne unius aut duorum insaniam utrorumq; regnorum cives sangvine luerent: Deum æquissimum rerum arbitrum, exitum secundum jus fasq; daturum. Sed de rei summa, cum periculo suo decernere detrectans Danus, satis habuit contumeliose rescripsisse. In hac expeditione prima tyrocinii rudimenta, sub parentis disciplina, positurus *Gustavus Adolphus*, ipso nescio, in Blekingiam irrupit, atq; Christianopolim exussit. Præfecti tamen cujusdam perfidia in hostium venisset manus, nisi equo in flumen præcipitato evasisset: verum & sic aquæ vorticibus hausto equo, periclitantem extraxere sui. Ad heroicæ indolis

dolis ſpecimen vehementer gaviſus parens, juvenilem tamen ardorem ejus ita objurgavit, ut ſimul obteſtaretur, ne injuriæ ejus obliviſceretur, qua ætati ſuæ, jam ingraveſcenti, quaſi illuderet Danus; ſed ſi fata Deusque ſinerent, libidinis iſtius vindictam cum tempore ab ipſo repoſceret. Quin & colaphum ipſi aliquando impegit, ut mihi retulit Magnus Vir Axelius Oxenſtierna, in memoriam ſcilicet, quod nullo Dano fidere unquam deberet. Atque ita hoſtium progreſſus ſtitit; Calmariæ tamen & Elfsburgi jactura animum ægrum ita adfecit, ut loquendi facultatem fere adimeret. Debilitata hinc valetudine, Nycopiam revertit, ubi & non multo poſt diem ſuum obiit; (Anno 1611) anno ætatis ſuæ ſexageſimo primo. Ludovicum & Guſtavum, brevi fato viventes, Margaretham, Elizabetham, Sabinam, Catharinam, Palatino deſponſatam & Mariam, *Anna Maria* Heidelburgenſis ipſi peperit: Guſtavum vero Adolphum, Carolum Philippum & Mariam Elizabetham, Johannis O-Gothiæ Ducis conjugem, *Christina Holſata* in lucem edidit.





EPITOME HISTORIÆ SUIO-GOTHICÆ.

LIBER QUARTUS.

Caput I.

Non ſatis pacatis Patriæ rebus, regnum conſecutus eſt *Guſtavus Adolphus*, Moſco, Polono & Dano armis illud impetentibus. Adverſus ſingulos tamen ita ſe compoſuit, ut facile intelligerent, quo cum ſibi res eſſet. Quia vero cum omnibus ſimul confligere è re ſua non putavit, interventu regis Angliæ, Ordinumque Belgii, ad regni limites prope *Ulfsbeck*, pacem cum Dano pepegit, (1613 28 Jan.) pro reſtitutione arcium decies Uncialium (10 tunnor guld) ſolvens. In Moſcum inde, pactorum violatorem, converſus, Notoburgum, Jamam, Caporiam, Ivanogorodiam, Kexholmiam cum tota Ingria extorſit; (Anno 1614) quæ omnia, cum viginti millibus Rublonum, æternum poſſidenda; ſub oſculo crucis, ipſi ceſſit *Michaël Federovicius*, (1618 29 Jan.) ut *Novogorodiam* cum aliis locis nonnullis reciperet. Hoc bello defunctus, totis viribus in *Livoniam* trajectis, Parnoviam,

am, Vindaviam, & Dunemundam occupavit, petentiq; Sigismundo, ob Tattarorum, Mosciq; irruptionem, biennales inducias concessit. Verum cum tempori tantum illas impetratas fuisse intelligeret, eo elapso, 20 millium armatorum in continentem ad Rigam exposuit, ipse mox, cum aliis copiis comitante fratre Carolo Philippo, Parnovia terrestri itinere illuc accedens, urbem, deditionis mandata respuentem, commeatu & auxiliis exclusit: actisq; subter fossa cuniculis, nitrato pulvere cavernas replevit, mœnia Civesq; in aëra excussurus. Illi vero, non ambiguo periculo territi, victori se permiserunt. (1621) Inter armorum strepitum, rerum domesticarum curam non omisit Gustavus: Sed, habitis Holmiæ comitiis, in Livoniam rursus trajiciens, hostem iteratis aliquot prœliis ad Mitaviam ita attrivit, ut annuas inducias pacisceretur. Inde adparatu 66 navium bellicarum, Livoniam tertium petens, pulso cæsoq; ad Valmoisam Stanislao Sapiha, provinciam totam, præter Duneburgum, sibi subjecit. Pacate huc usque egerat Danus; sed, quia mercibus exportandis novum vectigal Holmiæ impositum; indeque aucto pretio, in Civium suorum manus venirent, cum Sveones in Dania ab hoc onere immunes essent; de hac quasi injuria frustra conquestus, Sveonum naves in Oresund vectigales fecit. Cumque non obscure ad arma res spectaret, Anglo procurante, per utriusque regni Senatores Ulfsbeckii amicitia redintegrata fuit. (A:o 1624) Gustavus interim Lithuaniam, Curlandiam & Semigalliam armis pervadens, Birsenum, Mitaviam, Buschium, aliaque munitiora loca expugnavit. (Anno 1625) Svasere Poloniæ ordines Sigismundo, ut regni & Esthoniæ cessione, quoad Gustavus viveret, Livoniam redimeret: Sed ille, victoriis imperatoris fretus, qui, finito

Germaniæ bello, ad recuperandam Sveoniam auxilia offerebat, pacis consilia repudiavit. Et forte frustra fuisset, Gustavo istas conditiones obtulisse, qui ad Valhoviam adsecutus hostem, castris exuit, cecidit, fugavit, suorum vix uno desiderato. (Anno 1626 7 Jan.) Audivi magnum *Axelium Oxenstierna*, regis individuum comitem, consiliorumque arbitrum, aliquando commemorantem: Regem in isto prœlio, tanta prudentia, virtute & consilio cuncta administravisse, ut in maximis ducibus suis vix quicquam simile antiquitas viderit: indignumque, omni ævo deprædicandum facinus, scriptorum negligentia obsolescere. Translato inde in Borussiam bello, (1626) Pilavium, Brunsbergam, Travenburgum, Marienburgum, Veiden, Popeln, Dirsaviam, Mervam & Elbingam cepit. Gedanum etiam, ad pendendum vectigal, coëgit: ubi excitatum propugnaculum expugnaturus, sclopi ictu vulneratus est. (1627) Adpetente hyeme, belli curam Axelio Oxenstierna dedit; ipse ad habendos delectus Holmiam tendit. Exspectabatur indies conscriptum in Germania supplementum, quod Streifius & Taufelius ductabant: Sed Hammerstenii interclusum ad deditionem coëgit Polkius. Primo vere revertens Gustavus, collatis ad Drisaviam cum hoste signis, equitatum ejus omnem profligavit, compulsis intra vallum peditibus. Et castrorum oppugnatione in sequentem diem decreta, cum opportunitates speculaturus, monticulum conscendisset, manuarii sclopi ictu, in supremo pectore iterum ex insidiis vulneratus est. Atque ita rei perficiendæ occasio pulcherrima manibus excidit. Cum omnium precibus & gemitibus admoneretur, ne ita periculis se ingereret, & suo unius casu tot millium salutem in discrimen adduceret; Officii, divinitus sibi commissi, mu-

munia exequentem, se Deo curæ esse, respondit, nihilque gloriosius, quam pro Dei gloria & salute patriæ etiam cum vitæ periculo decernere. Cum pilas corpori infixas extrahere nequiret chirurgus, hæreant, inquit, non degeneris vitæ monumenta, regemque decet animus magnus in corpore non effœminato. Sigismundum interea, qui nuper in castra advenerat, legati adivere Belgici, si pacem forte conciliare possent. Nec vana spes erat, ex sententia confectum iri negotium, adnitentibus scilicet proceribus Polonicis, belli hujus jam pertæsis, quod cum 30 annorum induciis ablatorum restitutionem, sola Riga excepta, offerret Gustavus. Sed salubriter consulta, speciosis promissis evertit Hispanus. Quia enim domus Austriacæ intererat Polonico bello distineri Gustavum, ne Germaniæ rebus se immisceret, per legatos suos classem 24 navium bellicarum, cum 12 millibus armatorum, sumtu suo, in mari Balthico, intra duos menses parandam sustentandamque obtulit. Legati isti Rostochium & Lubecam ivere, ducenta millia uncialium in collybo habentes: navem tamen impetrare nequiverunt ullam, postquam civitatibus maritimis innotuit, Austriacos cum Hispanis mari balthico incubare velle. Novem tamen Sigismundus Gedani instruxit, (Anno 1628) quæ piraticam in mari Balthico exercerent: Sed omnes illæ cum 120 tormentis æneis & copioso instrumento nautico captæ aut depressæ fuerunt. Stralsundensibus gravi Cæsarianorum obsidione pressis, instrumentum bellicum & auxilia submisit Gustavus; collectoque novo in Patria supplemento militum, Borussiam rursus petiit. (1629) Sed jam in campo adversus ipsum, præter Polonica insignia, etiam imperiales fulserunt aquilæ 17 legionum, quorum ductor Arnhemius fuit. Præter meritum & exspectationem Gustavo accidit,

cidit; itaq; consilia sua ita moderatus est, ut ingentes istæ vires, fracto impetu, consenescerent, præliisque tumultuariis ita carperentur, ut in rei summam nihil memorabile gesserint. Interposuerunt etiam operam suam Ludovicus Galliæ & Carolus Britanniæ reges, ut bellum hoc componerent; paceque frustra tentata, sexennales inducias inter utrumque regem sanciverunt: ea quidem lege, ut omnia, quæ in Livonia occupaverat, tum etiam in Borussia, Mencelam, Elbingam, Brunsbergam, & Pillavium retinere deberet Gustavus: qui locorum istorum præsidium & defensionem Cancellario Axelio Oxenstierna commisit: ipse cum cetera exercitus parte in patriam revertit. Antequam vero ad finem properarunt induciæ istæ, Gallus, Anglus & fœderati Belgii, per legatos suos Stumsdorffii pacis reconciliandæ negotium iterum frustra susceperunt; (1635 2 Sept.) quod bellum importune urgeret Imperatoris legatus, ut sic à Germaniæ rebus abstraherentur Sveones. Ne tamen irrito labore discederent, inducias istas in 26 annos adhuc produxerunt, conditionibus sequentibus: sublata utrinque hostilitate, ad mensem Julium, Anno 1661, pax fida servaretur; quo articulo Livonia etjam comprehenderetur: Injuriarum sancita oblivione, nemo perpetratorum nomine legibus interrogaretur, cuicunque tandem parti adhæsisset: privatis ademta bona, aut jure fisci occupata, suis restituerentur, cessantibus eorum nomine obligationibus quibuslibet; religioni nulla injuria irrogaretur; templorum ornatus & instrumenta integra relinquerentur: Partem Borussiæ occupatam, possessamque hactenus, cum actis publicis & instrumentis bellicis Uladislao Christina redderet: cuicunque migrare volenti jus esset, bonis divenditis, oppigneratis aut elocatis pro cujusque lubitu: Commer-

merciorum libertas integra servaretur: Exulantibus Sveonibus fides publica, & beneficium legum patriarum concederetur: Livonorum, Lithuanorumq; fugitivi, utrinq; conquisiti, dominis suis restituerentur: Exercitus utrinq; deducerentur: Si naves pro Sveonico deportando deessent, equitatui per ditiones Polonicas pateret iter, ab omni maleficio sibi temperaturo: classem armatam, contra regnum Sveoniæ, nec ipse instrueret Uladislaus, fratresve ejus, nec aliis in præjudicium regni Sveonici subministraret, ullove pacto inducias hasce violaret. Quo nomine pro ipso fide jubere deberent ordines regni Poloniæ, Dux Borussiæ, Curlandiæ & civitas Gedanensis. Singula vero hæc & universa, manuum subscriptione rata habituros Christinam, Uladislaum & utriusque regni ordines.

Caput II.

ANtequam ad Germanica tropæa properabimus, abs re haud erit, instituta Gustavi civilia strictim delibare: & primum quidem ea, quæ circa sacra & Numinis cultum. Nam cum à teneris rectum & sanum de Deo & religione sensum imbibisset; miseriasq; & calamitates istas semper ante oculos haberet, quibus patriam nostram gentilis quondam impietas & irreligio, tum postea Romana superstitio, tanto labore ab avo suo Gustavo exstirpata, sed Johannis & Sigismundi inconsulta temeritate iterum repullulans, involveret, puram & incorruptam religionem & ardenter ipse coluit, & ut omnes illi facerent, quorum opera in Rep. utebatur, providit. Circumacto seculo à profligata superstitione, patriaq; externo jugo liberata, annum jubilæum, magna festivitate, per totum

regnum celebravit. Pietatis & literarum officinas, scholas & Gymnasia, Lincopiæ, Stregnesii, Arosiæ, Abogiæ & pluribus aliis locis aperuit, dedicavitq;. Viburgi etiam Episcopum novum constituit, qui devictum Ingriæ populum ad sanam religionem converteret. Ad Divinum Numen propitiandum, supplicationes anniversarias, sub pœna observandas, indixit. Promulgato severissimo edicto in eos, qui Jesuitarum collegia frequentarent, Academiam Upsalensem, amplissimis privilegiis, prædiisq; suis gentilitiis, cum aliis reditibus annuis donavit: avorumq; suorum bibliotheca, cum Varmiensi & Herbipolensi, bello captis, instruxit. Aucto professorum numero, honesta singulis stipendia constituit, uti & discipulis pauperioribus, ne rerum suarum angustiis literarum studio renunciare cogerentur. Pari zelo promovendi pietatis & literarum, Dorpatensem in Livonia Academiam erexit: eo quidem ipso tempore, cum, castris ad Noribergam positis, tormentorum fulmina & fragores aures circumsonarent. Quin & in ipsis castris ejus, non minus capitale erat à pietate recedere, quam ista flagitia designare, quæ militaris disciplinæ rigore vindicantur. Sacrorum Antistites, ministrosq; in honore semper habuit; &, ut commode gnaviterq; officio suo vacarent, effecit. Verum cum multa præter ordinem & decorum in Ecclesia fieri animadverterit, ideam quandam supremi judicii Ecclesiastici Episcopis, in comitiis regni, tradidit; (1624) isto quidem tenore, ut Drotzetus & Archi-Episcopus alternis præsiderent; lectis collegis ex civili ordine, Senatoribus duobus, cum regii Dicasterii Adsessoribus tribus: Ex Ecclesiastico vero Stregnensi & Arosiensi Episcopis, una cum primario regis Concionatore aulico, & Pastore Holmensi: quibus adderentur fisci procurator & secretarii bini.

Ho-

Horum munus esset; causas, in consistoriis cathedralibus non dijudicatas, aut per adpellationem huc devolutas, cognoscere & dijudicare; quæque in Politicis collegiis inciderent Ecclesiastica, sententia sua terminare: providere, ne Episcopi & Presbyteri officio suo abutantur & peccantes coercere: lites inter Episcopum & parochos, ob pastorum substitutionem exortas, dirimere: videre, ne indigni per commendationes ad præbendas regias obreperent: religionis curam habere: Ingriam atque Esthoniam ab Idololatrica superstitione deducere: Scholarum & Nosocomiorum & Orphanotrophiorum inspectores agere, uti & stipis illius, quæ in usum pauperum scholasticorum colligitur: Typographiarum librorumq; imprimendorum censuram exercere: In Academiis Magistrorum & discipulorum labores & profectus cognoscere: ad exteros proficiscentium doctrinam, religionem, vitam explorare, nomina eorum & numerum tenere, peregrinationes eorum, consilio & autoritate, dirigere; quo eant, quid agant, consulere; ab domum revertentibus itineris rationem exposcere, & eruditionis meritorumq; testimonium præbere; ut isthac censura multorum inconsulta excursio, sumtuumque inutiles profusiones cohibeantur; sciatque Rex, quid de singulis sibi polliceri debeat, dignisque & idoneis honores & præmia conferat. Persvadere tamen Episcopis non potuit, ut hanc judicii formam reciperent, quod actionum suarum judices civiles abhorrerent: Volebant autem ipsi judicium hoc exercere, præsidente Archi-Episcopo. Sed quia juri congruens non erat, in propriis plerumque causis ipsos judices esse, gravibus aliquot Theologis, istud munus se commissurum denunciavit. Quia etiam publicæ curæ indies multiplicabantur, præter regni Senatum, fulcrum & stabilimentum imperii, 5 etiam

collegia instituit: Justitiæ, Bellicum, Rei Navalis, Cancellariæ & Rationum publicarum, ut, partitis operis, singula melius expedirentur. In supremis tribunalibus (Hoff-Rätt, Konungs Rådmbd) causæ omnes, in inferioribus subselliis judiciorum provincialium, territoriorum, & curiis civitatum terminari nequitæ, deciduntur. Et pro regni amplitudine, causarumque forensium mole, 4 ejusmodi dicasteria, pari autoritate, diversis in provinciis constituta sunt. Quod Holmiæ est, civium regni Sveoniæ causas cognoscit & dijudicat. Præsidet huic regni Drotzetus (primarius judex) cum collegis 12, juris & æqui consultis, ex nobilium ceterorumque civium ordine lectis. Junecopense per Gothorum regnum jurisdictionem suam exercet: Cujus præsidem agit regni senator quispiam pari numero collegarum. Per Finlandiam eadem prorsus ratione jus dicit Abogense, & per Livoniam Dorpatense. Quicquid vero in his judicatum fuerit, ut & in judiciis provincialibus, & territoriorum, id præsides provinciarum, officii ratione, & mandatis collegiorum, executioni mandare tenentur. In supremo Collegio Bellico præsidet regni Marschus, cum militiæ & armamentarii Præfectis, Chiliarchisq; eminentioris conditionis. Eorum munus est, quæ ad bellum administrandum faciunt, providere: militarem delectum instituere: exercitum regni conservare incolumem: arma & instrumentum bellicum prospicere: flagitia castrensia punire. Quia vero non terra solum sed & mari gerendum sæpè bellum est, istius cura Collegio rei navalis, sive Amiralitatis incumbit: ut rebus necessariis instructa semper sit classis regia: novæ subinde ædificentur naves: periti Gubernatores, Navarchi & classiarii in promtu sint. Quicquid deniq; ad usum belli navalis & dominii maritimi pertinet, col-

legii

legii hujus est, prospicere & dirigere. Quartum collegium est Cancellariæ, cujus caput ipse Cancellarius, consiliorum omnium de Rep. arbiter & moderator. Ipsius est, in senatu deliberanda proponere, & sententias colligere: provinciarum Præsidibus, magistratibusq; ceteris mandata & agendorum rationes communicare: Legatorum mittendorum, excipiendorumve mandata examinare: fœderibus pangendis præesse: Consultationes ordinum perpendere & dirigere: Et ut verbo dicam, videre ne quid Resp. detrimenti capiat. Frustra vero pace belloq; res magnæ susciperentur, si perficiendi instrumenta deessent; pecuniam intelligo, rerum gerendarum nervum. Cui parandæ Fisci rationumq; Collegium invigilat, quod redituum, vectigalium, tributorum, omniumq; bonorum publicorum rationes examinat, & ad liquidum perducit. Multum vero ex singulorum opulentia publicæ augentur opes: datis immunitatibus, mercaturam, opificia, navigationes & agricolationem civibus commendavit. Ad metallorum fodinas eruendas excolendasq; singulare etiam collegium instituit.

Caput III.

DE communi fœdere ineundo, ad restituendum Fridericum Palatinum, conculcatamq; Germaniæ libertatem, Gustavum, Polonico bello occupatum, sæpius interpellaverant Jacobus Angliæ, Christiernus Daniæ reges, Transsylvanus & Principes nonulli Germaniæ. Nec recusavit hic rei gerendæ præesse, si exercitui 45. millium, cujus tertiam partem ipse offerebat, stipendia providerentur. Dano interim negotium illud in se recipiente, ipse rebus suis contra Polonum intentus fuit, nec passus est cladis reli-

 quias

quias in se postea derivari; tametsi Danus, ad Lutram re infeliciter gesta, id per legatos suos sollicite quæreret. E Polonica vero expeditione revertentem Principum Germaniæ excepere legationes, Patriæ suæ, Ferdinandi, Catholicorumque sævitia & crudelitate oppressæ adflictæq;, auxilium ejus & vindictam implorantes. Lamentis igitur ipsorum, propriisq; injuriis motus, ordines ea de re Holmiam evocavit. (Anno 1630.) Horruere plerique ad mentionem novi belli, Imperatoris potentiam, fœdera, vires reputando; nec immerito vitæ regis, in discrimina toties mittendæ, metuebant. Quorum sollicitudinem piam ita excepit, ut omnia ista secum antea exegisse profiteretur; sibique idem quod vasculo evenire posse diceret, quod manibus sæpius tritum tandem confringeretur. Sudorem præterea, pulverem, frigus, inediam, cadaverum fœtores, belli scilicet delicias reputantem, non ita iis se delectari, ut non præoptet pace frui quietamque domi vitam traducere: Se interim Dei ministrum, vindicemque injustitiæ, adspicere non posse sacra & religionem conculcari, amicos fœderatosque opprimi & exilio mulctari, injurias & servitutem patriæ intentari. Quibus propulsandis omne periculum leve esse deberet: præsertim quod Deum, justæ causæ patronum cœptis futurum, non diffideret. Impetrato sic ordinum consensu, singulos officii, caritatis in Patriam, mutuæque concordiæ admonuit; ne quid, se absente, præter exspectationem eveniret. Regio inde convivio exceptos, ad sua quemque dimisit. Milite sine mora navibus imposito, non reversurus amplius Germaniam petiit.

CO-

GOTHORUM EXTRA PATRIAM RERUM GESTARUM

LIBER PRIMUS.

Caput I.

QVem orbis tractum Scandia occupet, quique in ea populi & reges, à primo ingressu ad nostram usque ætatem, claruerint, prius nobis memoratum. Jam in alias orbis partes diffusi, quid patraverint, tenui stilo complecti visum. Qui sine obtrectandi livore gentium origines evolvunt. Sviones & Gothos primos Scandiæ incolas & indigenas adseverant, gentem sanguine, morum & religionis vinculó eandem: Sveonum tamen nomen domi, & apud vicinos Gothorum magis clarum fuit. His locorum situs & Patria lingva O-Gœtharum & W-Gœtharum nomen imposuit, quod, diverso foris condito imperio, semper inde retinuerunt. Si quis immensum sobolis incrementum mirabitur, cogitet in vita severa & frugi, genitalem vigorem non torpuisse;

puisse; simplicemque victus apparatum & cœli frigidioris genium, compactioribus membris valetudinem & robur masculum indidisse; suisque inclusos limitibus generi propagando incubuisse: inde in immensum auctos, fluminis instar, ruptis claustris inundantis, in diversas se terras diffudisse. Quorum viribus quod obvia quæque cesserint, in causa fuit animi audacia, quam infra corporis robur non habuerunt. Nam ut decreta per temeritatem non præcipitabant; ita, quæ semel decrevere, exequi promtissimi fuerunt. Et amicos quidem beneficiis, hostes virtute non astu superare honestum ducebant. Et quia animos immortales esse, virtutibusque & sceleribus sua post mortem præmia esse, persvasum habebant, ipsa pericula & mortem animose contemnebant. Quin sequior sexus virili adsvetudine laboribus excercitus, rebus in dubiis, ad tela magis & arcum, quam lacrimas & miserationes, sveta mulieribus arma, respiciebat. Neque tamen ingenia efferavit armorum studium, ut mansvetudinis & pietatis obliviscerentur. In Deos quidem tantæ venerationis devotionisque fuerunt, ut cum cœlum tonitrua turbarent, excussis in nubem sagittis, suis, prœlio decernentibus, opem ferre niterentur. Sed mihi rerum seriem deducenti, propositum non est, gentis elogia commemorare, cum, ex coacervatis veterum testimoniis, in suis ad Procopium prolegomenis, abunde id præstiterit vir summus Hugo Grotius. Isti igitur Gothi, Berigis auspiciis, patria, multis ante Christum natum seculis, egressi, devictis Ulmerugis & Vandalis, terras Oceano proximas occupaverunt. Inde numerosa sobole auctos, Filmer quintus Rex, in Schytiam, lingua Gothica Othem h. e. magnus mundus, magnus orbis dictam, introduxit, Samogætis solis remanentibus: penetra-

travitq́, non ſine labore & incolarum cladibus, ad Mœotim; ubi pars eorum conſedit, & in hunc usq́ diem inhabitat, ſermonem & nomen vetus retinens, uti ex *Joſaphato Barbaro*, nobili Veneto, probat Grotius. Ceteri vero inde digreſſi, in Dacia ſedes collocarunt. Magnas & præclaras res ibi geſſiſſe haud dubium eſt; pleraſque tamen temporum vetuſtas oblivione involvit, & pauca tantum fragmenta, velut injuriarum monumenta, gloriæ ſuæ reſervavit hoſtium ipſorum fides. Scio hic, Schytogætica & Amazonica in noſtrorum elogiis ab nonnullis commemorari, quod Gothos & Gethas eandem gentem jam diu adſeruerint magni nominis ſcriptores: Sed cum *Scytogeticum* late pateat nomen, nolo quicquam temere noſtris inde arrogare; neq́ rurſum, quod debetur ipſis jure, abjudicare: ſed ſua quemque, in his diſcernendis, libertate uti libenter ſino. Iſto autem ſeculorum decurſu, non reges tantum & Heroas, ſed etiam ſapientiæ magiſtros habuerunt, quales *Zamolxis*, *Zeuta* aliique, qui honeſtatis diſciplina & virtutis præceptis animos ipſorum imbuebant. Inter reges & heroas, quos illi Anſos i. e. ſemideos vocabant, iſti celebrantur: Bericus, Gadaricus, Filimer, Tilogud, Ariges, Gapt, Halmial, Angis, Amala, Iſarna, Gotilas, Comoſicus, Corillus pluresque alii.

Caput II.

DOmitiano rerum potiente, ſive ignavia Imperatoris contemta, ſive alias irritati Gothi, Dorpaneo rege, Iſtrum tranſiverunt, & Oppium Sabinum cum omni præſidio interfecerunt. Ad rei infeliciter geſtæ nuncium, trepidatum fuit Romæ, novisque in Illyrico collectis legionibus, Cornelius Fuſcus in ipſos movit: ſed non melio-

ri fortuna, quam ut, ipso cum copiis deleto, tantum Reip. vulnus infligeretur, ut interfectorum numerum celarint Romani. Et est, qui Domitianum ad indecoras conditiones adactum fuisse scribat. (Sc. Dio.) Post hunc, Trajanus, strenuus Princeps, diutino bello cum Decelbaldo & Gothis certavit, (*Eutropius*) & tandem ex Thracia & Mœsia ultra Istrum eos redire compulit, attributo iis Taiphalorum agro, decies centena millena passuum in circuitu. Antoninus Caracalla tumultuariis prœliis Gothos submovit. Gordianum etiam, Gothorum victorem, sepulcro ejus inscribunt milites, quod, quicquid hostium in Thracia fuit, expulerit (*Jul. Capitol.*) Philippo inde imperante Romanis, Gothorum Rex Gotha, transmisso Istro, Thraciam vel Mœsiam invasit. Contra illum missus ab Imperatore Decius, nihil memorabile gessit. Gotha enim, adsociatis sibi Carpis, Thaphilis, Astringis & Peucenis, ductu Argaiti & Gunterici, provincias devastabat. Instantem cladem Marcianopolis auro redemit. Gothis Romana deprædantibus, consangvinei illorum Gepidæ, quibus, in prima ex Scanzia emigratione, ex pigrioris ingenii convitio, natum nomen, condito jam validissimo in Dacia regno, obtritisque Burgundionibus, partem sedium a Gotha poscunt. Quibus denegatis, bellum, Falsida duce, ipsi inferunt. Sed devictos prœlio, extra fines suos ipsos removit. Decio, interfectis Philippis, imperium arripiente, Cniva Gothorum Rex, altera exercitus parte ad vastandam Mœsiam missa, ipse cum 70 millibus ad Eutheusium consedit. Sed urbe frustra tentata, á Gallo enim strenue defendebatur, Nicopolim castra movit. Verum & hic adpropinquanti Decio impar, in Thraciam, ad expugnandam Philippolim, recessit: Deciumque, ut urbi succurreret, magnis itineri-

bus

bus agmina raptantem, ad Berrocam fessum adortus, magna clade adfecit urbesque Philippolim & Nicopolim expugnavit. (Varnefridus & Ammianus) Reparatis iterum viribus, prœlium ausus, à Cniva cum filio pariter occidione occisus fuit. Gallus inde Trebonianus, præsidii limitanei in Mœsia Dux, ab exercitu imperator creatus & filius ejus Volusianus, imperii consors, haud diu duraturam pacem à Gothis mercati sunt, annuis ducentis drachmis aureis, ut Pomponius Lætus scribit. Quam ignominiam omni clade tetriorem Populo Romano fuisse exclamat Antonius Sabellicus. Valleriano inde & Gallieno per lasciviam & inertiam pessumdatis, Gothi, Respa, Veduco, Thuro Varoque ducibus, Thracia & Illyrico non contenti, Græciam, Macedoniam, transmissoque ingenti multitudine Bosphoro, Pontum Asiamque vastaverunt. (uti narrant *Trebellius Pollio*, *Eusebius*, *Zosimus*, *Eutropius*.) Qua inundatione florentissimæ quæque Asiæ urbes haustæ fuerunt, & Dianæ Ephesinæ templum despoliatum. Repetita hinc Europa, ad montem Hœmum urbemque Anchialim ob delicias scaturientium aquarum aliquamdiu desederunt. Ex Achaja, per Epirum, Acarnaniam & Beotiam reversos, *Trebellius* commemorat; Thessalonicamque ab eis vastatam Varnefridus addit: Gallieno ignavo strenuus successit imperator Claudius. Ejus tempore, Gothi Marcianopolim expugnavere; Macedoniam etiam & Illyricum adflixerunt. Magno itaque exercitu in ipsos movens, circa Marcianopolim, Byzantium & Thessalonicam, trecenta viginti eorum millia concidit: si vera sunt, quæ panegyristes ejus prodidit *Trebellius*. Credidisset quis, Gothorum potentiam tanta strage penitus excisam. Mox tamen, Aureliano imperante, tantum rei Romanæ negotium facesserunt, ut Aureliano gratias Resp.

 ege-

egerit, quod à Gothorum potestate eam liberavisset. (*Vopiscus*) Inde Gothicus dictus, Gothicique regis curru, quatuor cervis juncto, Capitolium Triumphans invectus est. Inter captivos etiam mulieres erant, quæ virili habitu pugnaverant; hoc titulo, progenies Amazonum Triumphum ejus auxerunt. (*Sabellicus*) Repressa tamen sic magis quam domita ferox natio fuit. Ipso quippe etiamnum vivente, Illyricum & Mœsiam depopulati sunt. (*Mamertinus*) A Maximiliano postea in societatem accepti, adversus Parthos & Persas magnum victoriæ momentum fuere. Constantino etiam fœderati, Alaricus & Aorius, contra Licinium & Sarmatas, præclaram ipsi operam præstiterunt. (*Varnefridus, Isidorus, Cedrenus.*) Constantinopolim etiam molienti 40 millia præsidio adfuerunt. Eandem Romanis amicitiam servarunt Hildericus & Gebericus; sed hic Vandalos ita attrivit, ut occiso eorum rege Visumaro, è nobili Asdingorum stirpe, infelicis belli reliquiæ, sedibus pulsæ, novas à Constantino mansiones in Pannonia implorare sunt coactæ. Post Gebericum Ermanaricus Magnus Gothorum rex fuit. Totam ille Schytiam & Araton imperio suo complexus, Herulis, Henetis, Antibus, Sclavonibus, Esthonibus pluribusque aliis, quos feritas sua cognitos fecerat, devictis dominabatur. Hunc grandævum, 100 quippe & 10 annos vixisse fertur, Sarus & Amminius lethali vulnere confecerunt; sorori ultionem quærentes, quam, mariti ob perfidiam, ab equis discerpi præceperat.

Caput III.

IN prima ex Scandia emigratione gens una eademque, diversa Ostro-Gothorum & Visi-Gothorum nomina secum

cum extulit, communemque & belli fortunam, & Reges huc usq; habuerat. Jam post Ermanarici mortem, suos quæq; sibi reges creavit: O-Gothi quidem ex Amalorum, Visigothi vero ex Balthorum familia eos capientes. Et id quidem non ex animorum aliqua dissensione; sed quia ingruentia pericula ita jubebant. Hunni quippe, gens Schytica, ferox & fœda, in O-Gothos, sibi viciniores, procellæ instar incumbentes, in potestatem suam redegerunt. Præerat O-Gothis Vinitarius, qui Hunnis cedens, Boxum Antarum regem, prœlio superatum, cum filiis & 70 proceribus furca sustulit. Non tulit id æquo animo Balamir Hunnorum rex. Adjuncto sibi proinde Sigismundo, Hunimundi filio, qui parti Gothorum sub Hunnis præerat, Vinitarium bello persequitur: sed semel iterumque victus, tertio Vinitarium prœlio exstinxit: Valadamarcham tamen, neptem ejus, conjugem ducens, O-Gothis pacem concessit, ut sub propriis viventes regibus, Hunnorum potentiam suspicerent & observarent. Electus sic Hunimundus, Ermanarici filius, Svevos bello vicit. Filius etiam ejus Torismundus, magna de Gepedis potitus victoria, equo præcipitatus periit. Cujus tantum popularibus desiderium fuit, ut 40 inde annos sine regibus viverent. Nam filius ejus Perismundus cum suo filio Vederico, Hunnis parere indignatus, Theodorici Visi-Gothorum regis militiam seqvutus est. Visi-Gothi, ne Hunnorum dominatum experirentur, alias sedes circumspiciebant; Fridegerno, Alatheo, & Safra electis Ducibus, Thraciam & Mœsiam, ab Imperatore Valente, inhabitandam petebant: ut, acceptis stipendiis, imperio militarent & fœderati essent. Potuissent quidem, ut alias, viam sibi ferro facere; sed, quia recenter Christianis sacris imbuti erant, maluerunt precario obtinere, quod à gladio olim

impetraverant. (*Octavius Ferrarius*) Horum vires & necessitatem considerans imperator, quod petebant, velut beneficium concedere voluit; ne, si negaretur, ingratiis extorquerent: opera eorum, si necesse esset, contra Hunnos usurus, & simul sperans, inquietos gentis animos, in pace & otio consenescentes, amplius sibi non timendos. Ita Visi-Gothi Valentis permissu Thraciam Mœsiamque insederunt. Sed cum ab Imperatore, metu liberato, quod contra Burgundiones & Germanos se convertissent Hunni, stipendia non solverentur; Maximi etiam & Lupicini, provinciæ inter ipsos dividendæ præfectorum, avaritia, perfidia & insidiis irritarentur: raptis armis, utrumque interfecerunt, bonisque provincialium duram famem depulerunt. Res ista armis vindicanda Valenti videbatur. Sed infeliciter adeo cum ipsis ad Hadrianopolim dimicavit, ut, deleto exercitu, ipse saucius, & in tugurio delitescens, subjecto igne combureretur. Constantinopolim etiam expugnavissent, nisi Valentis uxor, Dominica Augusta, multis pecuniis civium diligentiam servandæ urbi redemisset. Itaque cum Visi-Gothi Thraciam, Daciamque Ripensem, non precario, sed pleno dominatu tenerent, indeque Provincias Romanas impune percursarent, Gratianus rerum potitus, sed oneri ferendo impar, Theodosium, ex Hispania accitum, in communionem imperii assumsit. Hic Gothorum excursiones aliquo modo reprimere cœpit: Sed ipso gravi valetudine afflicto, Fridigernus Thessaliam, Epirum & Achajam; Alatheus & Safra Pannoniam pervagati sunt. (*Ammianus Marcellinus*, *Zosimus*, *Zonaras*, *Aurelius Victor*, *Varnefridus*, *Petavius*, *Jornandes*.) Quos ut compesceret, ex Gallis cum exercitu properavit Gratianus: Sed manus conferere non ausus, stipendiis & fœdere ipsos ad officium reduxit. Hinc con-

conciliatus Atanaricus, qui Fridigerno successerat, Constantinopolim venit, ut Theodosium inviseret; magnificeque ab Imperatore cultus, in paucis mensibus decessit. Theodosius, ut illum, non temporis causa, sed virtutis merito coluisse videretur, regio plane funere extulit, feretrum ipsius præcedendo. Tantum hæc humanitas imperatori ad conciliandos Gothos profuit, ut egregiam illi operam deinde contra Arbogastem & Eugenium rebelles in Gallia navarent. Nec ut extraneos amplius, sed ut civium loco Gothos sibi habendos censuit Theodosius, assignato ipsis agro, quem possiderent. Rebus præclare gestis hactenus felix imperator, sed cum paterna sollicitudine Arcadio & Honorio, impuberibus filiis, potentiam stabilire studet, tantum non exitium ipsis & imperio perstruxit. Cum enim filiorum & imperii, inter ipsos divisi, tutelam in tres ambitiosos & inter se æmulos purpuratos contulit, & imperii securitatem, & imbecillem filiorum ætatem prædonibus prodidit. Arcadio Constantinopolis & orientis imperium, sub tutore Ruffino, contigerat; Occidentem Honorio administrare debuit Stilico: Gildo Africæ præfuit. (Anno 405.) Sed cum utriusque imperii tutelam sibi arrogare vellet Stilico; Ruffinus, qui non minus potentiam adfectabat, sui stabiliendi causa, Græciæ aditus occupavit; Alaricumque Visi-Gothorum regem pecuniis sollicitavit. Stiliconis tamen solertia præoccupatus à Gaina Gotho, cum copiis misso, interemtus est. Et idem ille Gaina, Gothici ad Arcadiam exercitus ductor, sublato Ruffino, novis rebus studere compertus, ab Arcadio hostis judicatus, & à Fravitta, gentili suo, in Thracia devictus, mortem oppetiit. Gildonem etiam, qui Africam occupaverat, fratris ejus insidiis sustulit Stilico; atq; ita jam ab æmulis securus, & juxta Honorii adfini-

finitate elatus, Eucherio filio imperatoriam dignitatem, adſtruere nitebatur. Hoc conſilio, hoſtes undique in imperium clam concitavit, ut timore & neceſſitate inductus Honorius, rerum omnium & armorum arbitrium ipſi cederet. (*Oroſ. Sabell. Varneſ. Marcell: in Comm.*) Hac ſcelerati Ducis perfidia; ad prædam vastasque ſpes inſtigati Vandali, Svevi, Alani, Burgundiones, res Occidentis invaſerunt. Gothos etiam, qui jam ordinaria imperio ſtipendia faciebant, tanquam parum neceſſarios, & ærario graves, dimittendi autor fuit: certus, hac contumelia irritatos, Honorio negotium faceſſituros. Illis, ſubtracta ſtipendia indignantibus, animo ſedit, Italiæ cladibus injuriam ulciſci. Et cum ſoli ſatis terroris & damni adferre poſſent, popularibus tamen O-Gothis, in Pannonia degentibus, ſvaſores fuerunt in Italiam una irrumpendi. Qui, probato mox conſilio, Radagaiſo Duce, quadringentis hominum millibus, ut prodit *Zoſimus*, vel ducentis, ut alii aſſerunt, per Syrmiam, Illyricum & Noricum tendentes, Italiam inundarunt. Hos circa Florentiam, in montibus Feſulanis, velut indagine cinctos, interceptoque commeatu, ultima fame expugnatos in poteſtatem ſuam redegit Stilico. Et quia tantam multitudinem occidere inhumanum, ſervare difficile judicabat, pecorum inſtar gregatim vendidit. Hunc Radagaiſum, Schytam vocat Jornandes, ſed ea ratione, qua Gothi, Schytæ & Getæ ab aliis dicuntur. (*)

Caput IV.

ALaricus cum, populata Thracia & Græcia, moras aliquamdiu in Epiro egiſſet, Italiam & ipſe petens, circa

(*) Radagaiſum Viſi-Gothorum regem facit Bernhardus Juſtinianus lib. 2. de l' Origine di Venetia.

ca Ravennam consedit: missisque ad Honorium oratoribus, excidium Italiæ minatus est, ni quietæ sibi sedes ibi assignarentur. Nec serio Imperatoris arma contra ipsum expedivit Stilico: Sed moras trahebat, ut, hostis & Imperatoris attritis pariter viribus, facilius rerum summam ad se traheret. Intellexit fraudem Alaricus, exploratacq; diligentius consilia ejus, per oratores ad Honorium detulit, amicitiam suam & operam offerens, si pacatis & ab omni maleficio temperantibus, in Italia considere permitteretur. Honorius, tametsi remissus & ignavus, satis tamen providit, sublato Stilicone, non esse, quem Gothis opponeret, quos ab Italia amoliri, victoriæ instar putavit. Galliam igitur & Hispaniam, Vandalis, Svevis & Italis infessas, pleno jure Alarico addixit; stipendia etiam Gothis constituit, ut defendendo imperio invigilarent. Nec potuit minori dispendio tantum periculum avertere Honorius, quod amissa, & quæ nunquam forte recuperaturus erat, tribuebat, & de Constantino tyranno, qui in Britannia, Gallia & Hispania imperatorem se gerebat, alieno periculo vindicta dabatur. Placuit tamen conditio Alarico, incompositoq; agmine ad assignatas sedes properabat. Sed, novo Stiliconis scelere, ultima Italiæ fata acceleranda fuerunt. Cum enim dominationem paranti adversa hæc essent, autor Honorio fuit, Gothos in itinere securos opprimendi, ne, reconciliatis forte inter se barbaris, præsentiori periculo Italia exponeretur. In speciem ista prætexebantur, re vera autem eo tendebat, ne in pace sua obsolesceret autoritas, scelerisve consilia proderentur. Decepto sic imperatore, Saulum Judæum exsequendis insidiis præfecit, monitum, ut in ipsa Paschatis religiosa festivitate Gothos adoriretur: sic enim devotioni vacantes, insidiis magis opportunos. Quod & even-

 tus

tus comprobavit. Inexspectato enim assultu perculsi Gothi, non arma sed preces opposuerunt, per Christianam fidem & Dei venerationem obtestantes, ne Dei sanctitatem humano sangvine violaret. (*Bernhardus Justinianus lib. 2.*) Risit pietatem Judæus, & non resistentes, pecudum instar, mactavit. Itaque in furorem actus Alaricus: *Solvimus*, inquit, *quem Deo debemus, honorem, ipse impii sceleris pœnas ab hoste exiget. Vos scelerato sangvine innocentibus sociorum manibus parentate.* Simul in hostem ruit, sequentibus suis, pari indignatione ardentibus, tantaque subito rerum conversio & strages sequuta, ut octingentis retro seculis infelicius non pugnaverint Romani. Alaricus, perfidia Honorii iratus, verso itinere, Romam petit. Intercessere iracundiæ religiosi aliquot viri: sed adseveravit ille sancte, non ira, sed spectris & insomniis huc agi; tum & sceleratam improbitatem pœnas mereri. Cognito periculo, Honorius, ut Alaricum placaret, simul insidias & potentiam Stiliconis suspectans, interfici ipsum cum filio Eucherio mandavit. Sed, ut cæca plerumque in futuris prævidendis est humana prudentia, ita hujus consilii parum felix fuit. Nam & Ducem bello bonum, & tunc nimis necessarium sustulit; neque tamen hostem irritatum, & perfidiam Stiliconis in Imperatoris jussa transferentem, placare potuit. Atque ut magnæ moles, ad ruinam inclinatæ, levi impulsu ruunt: ita Alarico Romanam magnitudinem, jam non sensim labentem, evertere, non admodum difficile fuit. Tentarunt obsessi auro iratum placare; statuas præterea & imagines deorum, inter quas etiam Fortitudinis, quod multis pro sinistro augurio habebatur, leniendæ iræ ejus everterunt, (*Zosimus lib. 5. Hieron. Ep. l. 16.*) Horum tamen ille nihil curans, tam arcta urbem obsidione pressit, ut dira fame ad nefandos

dos cibos eruperit esurientium rabies. Quam inhumanam calamitatem miserata Proba Faltonia, Adelphii Senatoris uxor, urbem hostibus prodidit: quamvis Attali factione hoc factum alii adserant, quem turbandis rebus Imperatorem vocaverat Alaricus; urbeque potitus. (A:o C. 410.) Augustalibus insignibus decoratum, in publicum prodire fecit, in contumeliam Honorii, mox tamen diademate & purpura spoliatum, in privatam conditionem redegit. Sic caput orbis, & regina gentium Roma, captiva victori Gotho jam succubuit. Tanta Honorii fuit ignavia, ut, cum Roma perdita nunciaretur, negaret fieri illud posse, cum modo in manibus suis fuisset: gallinam nempe suam Romam, quam in deliciis habebat, perditam quæri existimans. (*Bernh. Just. Octav. Ferrarius, August. Orosius &c.*) Alaricus captam urbem militum diriptioni permisit: Severe tamen prohibuit, ne loca sacra, aut eo confugientes violarent. Memorabilis etiam militum modestia adparuit, quod ea non patraverint, quæ libido victrix sibi permittere solet. Ita cum sacrorum supellectilem auream, domi adservatam, irruenti militi ostendisset virgo Vestalis, religioso horrore tactus, rem Alarico nunciat, qui referri omnia ad sacram ædem continuo jussit, addito satellitio, ne discurrentium libidine in transitu diriperentur; plura alia modestiæ & clementiæ, nullum diritatis exemplum, in hoc urbis excidio editum fuit, omnibus, ad sacra loca confugientibus, servatis incolumibus. Clemens hæc censebitur victoria, si cum Gallorum furore conferatur, qui, trucidatis hominibus, incensæ urbis cineribus illuserunt. Manifestum, quod Dei etiam ira hic intervenerit, cum justitia ejus non ignoverit, quibus hostium clementia pepercerat. Armatæ etenim nubes fulmina jaculabantur, qui-

bus tacta ædificia & clarissima urbis loca, quæ hostilem iram non senserant, conflagrarunt. Spoliata urbe, quæ totius orbis spolia congesserat, expeditionem in Siciliam & Africam meditabatur Alaricus: cui, cum homines non possent, mare intercessit. Trajicere enim conantem tempestas rejecit, navibus aliquot elisis. Atque sic in ulteriore rerum adparatu occupatum, mors apud Cosentiam intercepit, anno à Romana direptione vix circumacto. Sepulcrum ipsi, in derivati fluminis Bassensis alveo, posuerunt populares, cui, gentis suæ more, cum prætiosissima supellectile illatus est. Amne postea in antiquum cursum restituto, fossores, qui operi interfuerant, trucidarunt: ne quis reliquiis & cineribus regis sui illudere aliquando posset.

Caput V.

UT Gothorum sceptrum consequeretur Attaulfus, Alarici propinquus & juxta adfinis, non minimum adjumentum fuit corporis dignitas, & quod morum conformatione ac habitu oris Alarico persimilis esset. Firmando imperio suo, Gallam Placidiam, Theodosii filiam, germanam Honorii, quæ obsidis loco apud Alaricum fuerat, matrimonio sibi junxit. Quoq; cumulatiorem gloriam ad posteros transmitteret, cupido animum ejus incessit delendi Romani nominis; ut novo imperio sui nominis auspicia, & Gothicæ nationis titulos daret; vocareturque in posterum Gothia, quæ fuerat Roma, & qui quondam Cæsares & Augusti, inde Attaulfi dicerentur. Verum considerato, quam difficile foret novo Gothos imperio adstringere, & uxoris juxta intercessione à proposito destitit. Rebus itaq; cum Honorio compositis, Italia-

liaq; quam quinque annos tenuerat, restituta, ad Galliam & Hispaniam occupandam tendit: quam ipsius profectionem Honorius ludis publicis celebravit, sibi tandem otium & securitatem contigisse gratulatus. Svevi vero, Alani, Silingi & Vandali, memores cladis, qua ipsos in Pannonia adfecerat Genevius, Gothorum Rex, Attaulfi adventum fuga antevertunt, perq; Pyrenæorum claustra in Hispaniam irrumpunt. Vandalos & Silingos Gundericus, Alanos Atace, Svevos Hermericus ducebat. Qui cum junctim Hispaniam exhausissent, insecuta fames prædatores ipsos adfligere cœpit. Partitis itaque Provinciis, suarum quisq; rerum satagere cepit. Svevi Galliciam, Vandali Bœticam, Alani Lusitaniam, & Chartagenam invasere; Soli Cantabri & Astures in Romanorum fide permanserunt. Attaulfus Italia cedens, Galliam Narbonensem occupavit, sedemq; regiam Narbonæ collocavit, quam successores ejus Tolosam inde transtulerunt. Ipsa provincia Galliæ Gothicæ induit nomen. Mox propagando imperio, tractum omnem ad Oceanum usque adjecit, capta & cremata Burdegalia. In hoc tamen rerum successu suspensum tenuere Constantii victoriæ, qui Constantium tyrannum ad Arelate subegerat; neq; fidam satis Honorii amicitiam reputabat; utique postquam profectionem suam ludis celebraverat. Imperio itaq; turbando Attalum, Romani sangvinis virum, cetera ignavum, sed cui oracula imperialem dignitatem spoponderant, imperatorem dixit. Tantum in hoc imperatorii nominis valuit ambitio, ut jam tertium se à Gothis ludificari insuper haberet, augustalibus ornamentis cultus & mox spoliatus. Conquesta est de hac injuria Placidia, qua fœdus, amicitia, filioq; suscepto Theodosio, jam arctior adfinitas erant exspiratura. Cum interim Narbonæ omnia arcti-

arctiora fierent, per Pyrenæos in Hispaniam ire decrevit Attaulfus, crebris Hispanorum votis instigatus; quibus Barbarorum insolentia, juxta & avaritia Romanorum gravis erat. Tum & faciliorem sibi viam ad ceteram Europam subjugandam putavit, si in Gallia pedem tenens, Hispaniam etiam adjungere posset. Præsidio itaque Narbonæ relicto, Tarraconensem provinciam insedit, Barcinonemque sibi regiam constituit. Asperi itineris difficultatibus fatigatus miles, incultamque Hispaniæ solitudinem aspernatus, invidiose regem criminabatur: "Hæc tot laborum & continuæ militiæ præmia esse, ut in sterili & emoriente terra tandem conficerentur. Regem, mulierosum & uxoris blandimentis effœminatum, ludibrium potius, quam pacem secutum, Romam totamq; Italiam, Alarici virtute & Gothico sangvine partam, hosti Honorio rursus prodidisse. Hinc nationis suæ fortitudinem & tantarum victoriarum monumenta turpi ignavia destruxisse." Prope seditionem res erat: quam ut componeret, exercitum ad concionem vocavit. "Non honoris, amicitiæ, Placidiæve lenociniis datum, confirmans, quod Italiam reliquisset, sed nationis suæ commoda & regni securitatem spectavisse. Potuisse Italiam virtute Gothica retineri: perpetua tamen in illos bella gerenda, qui ubique in istam spem erigerentur. Unde inevitabilis tandem stirpis consumtio & exitium. Quo factum, ut per tot secula, inter continuas victorias & triumphos, regnum tamen condere non potuerit gloriosa natio Gothorum, quæ non ideo armatam patriam reliquerit, ut merito se furori sacrificaret, sed ut imperio, gloriose parto, cum pace fruerentur. Esse Hispaniam terrarum quidem ultimam, sed soli fertilitate, clementia cœli & divitiis metallorum, inter primas, sibiq; &

Ala-

Alarico pleno jure donatam. Hanc verum esse theatrum " Gothicæ virtutis; munitissimumque castrum ad ceteram " Europam expugnandam: Hinc Pyrenæis, inde Ocea- " no undiq; cinctam; portuum vero commoditatibus, ad " trajiciendos exercitus, præ ceteris gaudere. Ad meri- " diem vastam Africam patere; ad orientem & Septentri- " onem Galliam esse, Gothicis præsidiis infessam: unde " in Germaniam & Italiam facilem transitum. Barbaros " inter se commissos, Gothicæ virtutis prædam futuros. " Hispanos, justitia, amicitia & religionis commercio con- " ciliatos, sangvinem communicaturos. Veloces eorum " equos in prœlia utiles; montium mineras argento, au- " ro, ferro, & chalybe prægnantes, bellorum ærarium " & armamentarium futuros. Omnia denique Gothicis " Triumphis aptissima.„ Versis sic subito animis, regi si- bique consilium gratulantur. Suscepta inde cura ejicien- dorum Barbarorum, imbellem multitudinem in agro Tar- raconensi collocat: inde in hostes versus, pluribus eos prœliis attrivit; tertioq; demum anno pacata sibi omnia reddidit. Quia vero, in Honorii contumeliam, Attalum adhuc fovebat, ejus jussu bellum ipsi movit Constantius. Et indignatus Attaulfus, Honorium beneficii & adfinitatis tam cito oblitum, arma & ipse expedivit, Attalumque in Africam rebus turbandis misit, lacrimis & precibus multum intercedente Placidia, atque, ut injuriarum & discordiæ instrumentum Honorio dedatur, orante. Ca- pto postea in mari Attalo ab Constantii militibus, novis maritum lacrimis & blanditiis ad pacem tandem flexit, hoc jam proniorem, quod Constantii successibus multum firmatæ essent imperii vires: arduumque nimis foret ex- ternum simul hostem & domesticos pati. Sed uxori in hoc auscultavisse, pernicies ipsi fuit. Ei enim parere, qui à fœ-

à fœmina regeretur, ignominiam interpretabantur illustriores optimates: atque sic in necem ejus conjurantes, Bernulfi operam redimunt. Scurra is aulicus fuit, cavillationibus torquendis excipiendisq; promtus: quæ gens principum aulis perniciosa, vulgandisq; secretis domesticis, exequendisq; sceleribus audax semper exstitit. Is Bernulfus, regem, equos suos, de more, Barcinone spectantem, ferro appetivit: supervenit mox conjurationis princeps Sigericus, regemque cum sex filiis, priori matrimonio susceptis, & è sinu Sigesari Episcopi abstractis, trucidavit, ne superesset, qui sceptrum aut parricidium vindicaret. Hoc sceleris successu insolens, reginam Placidiam, ceterosque captivos, ad duodecimum ab urbe lapidem, ante equum suum decurrere coëgit: non sine tacita meliorum exprobratione, quod tam barbare in illam illuderet, quam omnes ante in purpura venerati fuissent. Sed non prima hæc fortunæ insolentia, in regum fastigiis extollendis evertendisque ludentis. Sex tantummodo annos regnavit Attaulfus, sed parvo hoc tempore multorum seculorum regnum condidit. Nec brevis illa vita censenda fuit, quæ inter tam gloriosa facinora transacta est.

Caput VI.

Diadema, Attaulfi sangvine rubens, Sigerici temporibus circumdatum, admonere ipsum potuisset, funestum pacis esse consilium: Sed in hoc improvida aut pertinax mortalitas est, quod suis potius, quam alienis casibus erudiri malit. Elegerant eum Gothi, quia expertæ fortitudinis, odii etiam in Romanos esset cognitus. Sed immemor ille injuncti sibi muneris, ad pacem propendebat, Honorii potentiam suspectans, regnumq; filiis stabili-

biliturus. Indignati proinde Gothi, quod Attaulfi nece cautior non evasisset, primo regni anno trucidarunt. Tantum illis Romanæ pacis odium erat, quod insidiosam illam semper experti fuissent. Deploraverit aliquis merito temporum istorum infelicitatem, in quibus de pace cogitare regibus capitale fuit: quorum munus præcipuum est curare, ut justitia & quiete fruantur subditi. Ab his tamen sæpe abhorrent, qui regum consilia moderantur, ut, rebus turbatis, potentiam & autoritatem suam augeant. Fuit Sigericus profundi animi, contemtor deliciarum, sermone rarus, contentiones & odia serere artifex, ad gentes sollicitandas callidissimus; sui tamen fati ignarus: pœnam, scilicet, parricidii, in Attaulfum perpetrati, divina exigente justitia. Quod Attaulfo & Sigerico fatum adproperavit, Vallia nullo negotio perfecit. Quia publice Romanorum se hostem gerebat, popularibus in regem placuit. Caute igitur providit, ne suorum aures odioso pacis nomine pulsaret, antequam ipsis periculis discerent, quanti interesset, ad quietis consilia respicere. Instar enim ferocis equi est turba, quæ falsis opinionum umbris huc & illuc agitur. Infelix proinde rerum auspicium; Mauritaniam subacturus, exercitum coëgit; quæ si succederet expeditio, regnum ampliabat; sin tristior intercederet fortuna, intelligerent sui, non posse se simul Romanis resistere, & à ceteris securos esse. Res autem in deteriorem partem cecidit, classe naufragio amissa. Fractis sic non parum Gothorum viribus, extra fines imperii ipsos ejicere Honorio sedit; penetravitq; in Hispaniam cum exercitu Constantius, Patricius & militiæ magister, cui sororem Placidiam & imperii societatem obtulerat Imperator, ut rem alacriter conficeret. Interponebat autoritatem suam Placidia, rebus turbatis, plus vitæ timens

quam secura libertatis. Cum autem ultro provocantem offendisset Valliam, nec sponsam & Imperii spem dubio prœlii eventui committere consultum putaret Constantius, honestas pacis conditiones obtulit Valliæ; quas tamen ille sine procerum autoritate admittere distulit. Quid interim in rem esset, lubricæ orationis ambagibus satis aperuit. *Constantius*, inquit, *pacem nobis offert. Nunquam pejus Romanos metuo, quam cum amicitiam quærunt, aut simulant. Hoc artificio Valens nos decepit, & Stilico tantum non subvertit. Sincerum, credo, pectus habebunt, quos urbis suæ cineres & injuriarum monumenta ad vindictam quotidie stimulant? Mihi innatum in hos odium liberum non relinquit judicium. Vestræ est prudentiæ, quid huic sceptro conducat, decernere. Timet forsan Constantius, sponsam & imperii spem in discrimen mittere: nunquam quietem habebimus, quamdiu ista nobiscum erit. Sed cum ea provincias etiam revocabit Honorius? Verum armati quæ jura curamus, nisi quæ arma faciunt? tot interim hostibus cingimur, ut omnes in exitium nostrum conspirent; postquam ademta nobis est Gallia, Romanorum intercepit irruptio; meliorque virium pars naufragio periit. Omnia tamen interritus despicio, virtuti vestræ confisus: hoc tantum dissimulandum non putavi, fortitudinis non esse, desperatis casibus involvi, si possint evitari.* Intellexerunt ex his Gothi pacem cum Romanis sibi necessariam. Restituta itaq; Placidia, quæ ultra & cis Pyræneos possidebant, Honorii nomine illis confirmavit Constantius; ut adversus barbaras gentes sibi pugnarent, & Romanis vincerent. Restituta sic Romanis amicitia, Vandalos & Selingos in Bœtica prostravit: Alanos inde ita cecidit, ut exstincto rege Attace, Gunderico se permitterent, qui Vandalis in Gallicia præfuit. Tertio deinde anno, (418.) Tolosæ decessit Vallia, absq; prole mascu-

la,

la. Ex filia vero ejus & Svevero patre Risimer natus fuit Patricius, qui ab Valentiniano militiæ magister creatus, Antonii inde imperatoris gener evasit. Sed gliscens mox inter ipsum & socerum discordia, in bellum erupit. Causa alter, alter viribus melior, parem tamen animum adferebant. Cessit autem causa viribus, belloque victor Risimer Antonium socerum morte adfecit, urbemque Romam diripuit.

Caput VII.

FAtiscentem imperii molem, virtute sua sustinuerat Constantius: sed, eo mortuo, socordia Honorii non sensim ruere cœpit. Valliæ etiam metu liberati barbari, in Hispania cuncta miscebant. Gundericus præcipue in Svevos & Silingos armis grassabatur; cui ob sacrilegium divinitus punito successit Gensericus. Contra hunc ab Honorio missus Castinus, viribus inferior, Bonifacium, Asiæ præfectum, in auxilium vocavit. Sed odio & æmulatione in pari potestate certantes, nihil præclari in hostem gessere. Et non immerito unus minister malus, duobus bonis, sententia dissidentibus, aliquando præferendus esse videatur; quorum quisq; sibi benefactorum gloriam, collegæ errores imputat. Ita, re infecta, Castinus Romam, Bonifacius in Africam revertit. Mortuo per idem tempus Honorio successit Valentinianus, tertiogenitus Constantii & per ætatem adhuc regere ineptus. Mater proinde Placidia, suscepta imperii cura, Aëtii consiliis cuncta administravit. Bonifacium is æmulum ut aulica machinatione subverteret, adfectatæ in Africa tyrannidis apud Imperatricem insimulavit: atq; Romam ut arcesseretur, svasit. Bonifacio interim scripsit, exitio futurum, si im-

imperatricis mandatis obtemperaret. Proditionis enim insimulato, apud Principem acrem & suspicacem, innocentiam & amicorum studia, ad veniam aut gratiam impetrandam, non sufficere. Hac fraude circumventus Bonifacius, periculo, ut putabat, suo imperatricis mandata posthabuit. Quod illa certissimum defectionis argumentum interpretata, bellum in ipsum decrevit, hucusq; innocentem, sed jam alieno scelere ad desperata consilia inductum; sui enim tuendi causa Gensericum in Africam attraxit. Qui auxiliator primum, mox quæsita simultate, hostis Africa ipsum expulit. Quietus ista omnia adspexit Theodoricus, certus, si arma minatus fuisset, omnes in unum coituros, metu scilicet, & invidia potentiæ Gothicæ. Juxta tamen considerans, quam inutiliter Vallia Romano imperio militasset, sterilem sibi gloriam, aliis laborum fructum relinquendo: perspiciens etiam, prope occasum esse rem Romanam, consultius putavit ruina ejus fortunam suam sublevare, quam, periculis ejus se implicando, una perire. Rupto itaque fœdere, Romanis bellum indixit, vicinaque populatus, Arelate obsedit: Sed adproperans cum Avito Aëtius, ab obsidione ipsum dejecit, bellique pertinacem eo tandem redegit, ut pacem petere cogeretur. Diuturna tamen illa non fuit, ingratis utique rogata, & minus gloriose accepta. Reverso quippe in Italiam Aëtio, Narbonam expugnatum ivit Theodoricus. Quam, extrema jam patientem, cum liberare non posset Littorius, à Valentiniano missus belli dux, Aviti apud Gothos gratia, tantum ab Theodorico impetravit, ut, soluta obsidione, Tolosam reverteretur. Cum interim exercitum non dimitteret Littorius, sed in Aremoricos moveret, vicinorum periculo adesse voluit Theodoricus, magno pariter exercitu illuc tendens. Sibi itaque ti-

timens Littorius, Hunnorum præsidia urbibus imposuit, qui, vastata Thracia & Asia, Honorii permissu, in Pannonia consederant; &, quia non statim victus, pro victore se gerens, ad expugnandum non satis paratus Theodoricus, pacem ab Littorio petiit; Ille vero nihil nisi triumphos animo agitans, obsidionisque moræ impatiens ad pugnam ipsum provocavit. Nec detrectavit certamen Theodoricus, postquam divinam justitiam jejunio & multis precibus sibi propitiaverat. Dato enim prœlii signo, tanto ardore pugnam ciebat, ut, cæsis fugatisque Romanis, Littorium vivum ceperit: quem extrema miseria contabescere fecit. Hac victoriæ oportunitate usurus Theodoricus, ad Rhodanum usque regni sui limites extendere destinavit: Aviti tamen literis & intercessioni dedit, ut quæ Romanæ ditionis erant, amplius non infestaret. Reputans interim, quam temporaria Valentiniani esset amicitia, & simul Ricciarii, Svevorum in Hispania regis, successus suspectans, regni & potentiæ firmandæ causa, Ricciario filiarum alteram, alteram Honderico, Genserici filio, despondit. Sed lubrica fuit amicitia, hoc matrimonii nexu constricta, &, unde non timuit, è septentrione fatum ejus adpropinquavit.

Caput VIII.

DOminabatur Hunnis Attila, genti tam feræ & agresti, ut Faunis progenita multis sit credita. Ipse magni animi ferocisque ingenii vir, orbis subjugandi spem conceperat. Fratreque Breda (Calii Bleda) interfecto, Visi-Gothos Mysia, Dacia & Pannonia ejecerat, ne à tergo relinquerentur, qui popularibus ipsorum in Gallia & Hispania bellum inferentem, distrahere possent. Lustrato is in Pan-

nonnia 500000 exercitu, Valamiroque, O-Gothorum rege, cum fratribus Teudemiro & Videmiro, uti & Harderico Gepidarum rege, in speciem majestatis, re vera securitatis gratia, in commilitiam adscitis, iter suum secundum Danubii ripas persequebatur, exacta satis & sollicita disciplina militari, sed quæ sensim, ut in tanta colluvie, labasceret. Sequebantur imperium ejus Franci, Marcomanni, Burgundiones, Svevi, Quadi, Heruli, Turingi, Rugique. Tantæ expeditionis adparatus consternatos tenuit Romanos, quique partes eorum sequebantur, augendo semper id, quod spargere solet fama, aut credere timor, humanis carnibus vesci Hunnos: Hostes Marti immolare: parentes senes à filiis devorari: dira quadam crudelitate, humani generis servitutem & exidium moliri. Attila non astu minus, quam viribus promtus, ut Romanos Gothosque inter se committeret, divisosque facilius superaret, eodem tempore ad Valentinianum & Theodoricum legatos misit. Et illi quidem persvadere conabatur: sibi in animo non esse Romanum imperium lacessere, nullis injuriis provocato, sed Theodoricum Gothosque justis se armis persequi, gentem publicæ paci perniciosam, superbam, alienæ ditionis avidam, inquietam & Romano imperio semper exitiosam; de qua jam alieno impendio & periculo vindictam sumere posset, si solam relinqueret. Secreto etiam Aëtii operam ambiebat, commemorata veteri necessitudine suisq; in eum beneficiis. Apud Theodoricum vero disserebat: Quam turpe fortibus viris esset, devictum ab Romanis orbem leges accipere,& per tot secula superbos dominos pati, cujus amoliendæ Tyrannidis causa se tot nationum robora excivisse: Gothosq; ad hujus gloriæ & decoris societatem invitare. Si neutris accederent, nec amicum conciliaturos,nec evasuros hostem, sed

sed futuros spolium victoris. Ad Romanorum fœdus respicientes, cogitarent, nondum illos oblitos esse incendii illius, quod Valentem imperatorem absumsit, urbemque Romam in cineres redegit. Theodorico insuper dedecorosam futuram militiam sub Aëtii ductu, qui Gothos pariter & Hunnos deletos cuperet. Satis sibi virium esse ad Romanos obterendos, belli tamen gloriam & fructum se ipsis commune facturum, si jam fortunam suam ipsi non destituerent. Valentinianus, ob imminentis periculi magnitudinem & Aëtii consilio, Theodoricum, ad arma, contra hunc barbarum & humani generis hostem, jungenda sollicite ambiebat. Nec alienum se præbuit Theodoricus, Hunnis, ob latam Littorio contra se opem, infestus, & in Romanos propensior, quorum jam exstincta erat libido dominandi. Attilam autem sibi conciliabat Gensericus: causa odii in Theodoricum vindictæ metus erat, quod filiam ejus, ob parati veneni suspicionem, truncatis naribus, remisisset Hundericus. Insecuturæ cladis & calamitatum indicia cœlum ipsum exhibuit. Nam præter lunaris sideris deliquium, inusitatæ magnitudinis Cometes, hastarumque, in aere fulgentium, species, & terræ tremor, anxios hominum animos territabant: neq; tamen sic placata Dei ira, vindictam antevertere potuerunt. Theodoricus, quod rerum præsentium necessitas exigebat, omnem armis aptam ætatem excivit, urbibus præsidia imposuit, muros refecit, commeatum providit: Thorismundum & Theodoricum filios secum militaturos eduxit, Euricum, Himericum, Fridericum & Riccinerum Tolosæ reliquit, ut rebus domesticis præessent. Aurelianensibus ad ultima jam redactis, ut opem ferret, cum Aëtio properavit: Attilamq; acri inde prœlio submovit. Sed acceptam hic cladem, Lugduni expugnatio-

ne

ne, & Galliæ Narbonensis populatione pensavit, Gunderico etiam Burgundiorum rege exstincto, qui in Theodorici partes transiturus erat. Tandem universi utriusq; exercitus miles in campis Catalaunicis constitit. Ingens erat planities, dispositumque theatrum pro sævissima furoris tragœdia, quam exhibituræ erant diversæ nationes. In hoc vitam & sangvinem autorantes, ut unus mundo imperaret. Attilam, tametsi viribus animoq; præsidentem, augurum turbabant responsa, hosti victoriam pollicentium, sed victoris morte lacrimabilem. In serum itaque diei pugnam distulit, ut victis nox auxilio esset. Ordines etiam, qui equitibus maximam partem constabant, ita disposuit, ut dextrum cornu Valamirus, sinistrum Hardaricus ipse medium curaret. A tergo electum militiæ robur collocavit, ne illinc clades aliqua accipi posset. Adversæ partis cornu dextrum tutabatur Theodoricus, sinistrum Aëtius, in medio Sangibanus, Alanorum Rex, constitit, ob proniora in Attilam consilia suspectior. Stabat utrinque pugnæ avidus miles, tristi ferocia signum exspectans. Attila, equo insignis, nudum vibrabat gladium, quem sibi à Marte donatum ferebat, ferociamque suis vultu & verbis inspirabat. Theodoricus & Aëtius principia obequitantes, suis alacritatem & victoriæ fiduciam subjiciebant. Tam attrox inde prœlium insecutum, (Anno 451.) ut immanius pugnatum nusquam legas. Conculcato inter suos Theodorico, filius Thorismundus, quantumvis saucius, tantam in Hunnos stragem edidit, ut nisi receptum in castra mox Attila dedisset, deletæ omens copiæ ejus fuissent. Cæsorum utrinque numerus 180 millia censebantur: (162000 ait Jornand: præter 90000 Gepidarum, qui per errorem inter se concurrentes interierint. Sed Idatius 300000 cecidisse adsert) Inhumanam stra-

ſtragem vel inde æſtimare liceat, quod decurrentes ſangvinis rivos cadavera raptaviſſe memoriæ proditum ſit. (*Varneſ. lib. 15. Hiſtor. Miſcell. Callimachus in Attil. Rodericus Tolet. l. 5. 3.*) Gothi perquiſitum inter cadavera Theodorici corpus, lugubri cantu efferentes, inter tubas & armorum concuſſiones, funeri debitum exſolverunt. Triumphus hæ Theodorici exequiæ fuerunt; quia ipſe bello victor, & officio lugubri vacantes, interpellare non fuit auſus Attila, inter caſtra ſua deliteſcens. Regnavit Theodoricus annos 32, princeps glorioſus, & cui annalium memoriæ Magni nomen reliquerunt.

Caput IX.

SAtis conſtat debellari cum Attila potuiſſe, qui jam ultimo fato ſuo pyram in caſtris, de ſellis equorum, conſtruxerat, ne captivo hoſtis illudere poſſet; niſi Thoriſmundum perfido conſilio ſeduxiſſet Aetius. Ejus quippe potentiam, ſublato hoc æmulo, formidabilem imperio futuram ratus, memor etiam benignitatis, in exilio ſibi ab Attila præſtitæ; tum & adverſus aulicas machinationes & lubricam principis gratiam, quæ miniſtro non diutius certa, quam neceſſitas & metus operam ejus commendat, præſidium ſibi paraturus, Attilam conſervatum voluit. Thoriſmundo igitur, caſtra ejus oppugnatum eunti, callide ſubjecit: conſilio potius, quam neceſſitate intra caſtra ſe continere Attilam, ut ipſos ad iniquum certamen provocet. Non Romanorum minus & Gothorum, quam Hunnorum ſangvine inundatos campos. Quæ jam victo fugam intercipiant, victoriam dare poſſe, ſi ad deſperationem redigatur; cui præveniendæ viam hoſti clauſo aperuiſſe ſæpe Duces providos. Citra ſangvinem & peri-

riculum uniri, si commeatu prohibeatur; & si dilabatur inconditaista gentium moles, non facile iterum coituram. Nec debere Thorismundum regni sui, non dum stabiliti, curam omittere. Festinaret potius Tolosam ad adserendum sceptrum, quod, eo absente, fratres essent invasuri. Se interim fame Attilam edomiturum. Hac Aetii fraude deceptus Thorismundus, Tolosam revertit, tanti laboris fructu & gloria vacuus: celebratisque ludis funebribus, ipse pro suggestu oratione parentis laudes & merita percensuit; & militibus donativum, terdena argenti sestertia viritim distribuit. Gothorum discessum insidiosum ratus Attila, castris se continuit. Postea, explorato nihil fraudis subesse, quod copias etiam dimitteret Aetius, deriso hoste, quod victoria uti nescisset, in Schytiam recessit, exercitu fame, peste & assiduis itineris molestiis fracto dilapsoq;. Cruciabat hominem ferum hæc cladis ignominia; exercitu itaq; ad sacramentum vocato, Italiæ ruina acceptum dedecus abolere contendit. Sensere Barbari furorem Aquileja, Ticinum, Mediolanum, Brixia, Verona, Vincentia, pluresq; aliæ urbes penitus excisæ. Et cum in Valentiniano nihil opis esset, ad furias has reprimendas, quotquot effugere poterant, in Adriatici maris æstuaria se recipientes, urbem Venetias ibi condiderunt. Imperator rebus suis desperans, Leonem Pontificem ad Attilam ablegavit, ut quavis conditione ipsum ab Italiâ deduceret. Et flexit ille barbarum sic, ut, annuo promisso tributo, in Schytiam recederet. Sed otii & quietis impatiens, infestis iterum signis Galliam petiit. Periculi admonitus Thorismundus, per legatos auxilia & fœderis & amicitiæ lege ab Valentiniano exigebat. Sed illi consultius visum, amicum deserere, quam novo se discrimini involvere. Solus itaque Thorismundus, Attilam excipi-

cipiens, acerrimo prœlio profligavit, loco à priori clade non multum diſſito. Refugiente ſic in Schytiam Attila, iratus Valentiniano, ab denegata auxilia, bellum indixit Thoriſmundus, exercitumq; victorem Arelate adduxit. Quam cum victus Aëtius liberare non poſſet, Fereolus Galliæ præfectus, apud Thoriſmundum gratioſus, precibus liberavit. Iſtud Aetii infortunium & ſimul conſilium, de Attila non delendo, Thoriſmundo datum, perfidiæ ejus ab æmulis imputabatur. Opportunum id Maximo patritio fuit, qui cum, ob violatam uxoris ſuæ pudicitiam, Valentinianum interficere ſtatuiſſet, Aetium, qui imperii vires in manibus tenebat, prius ſibi ê medio tollendum cenſuit. Spe igitur & præmiis Eunuchos imperatoris induxit, ut ſiniſtros de Aëtio rumores in auribus principis ſtrenue adjuvarent. Et credidit ille facile verum eſſe, quod moliri dicebatur Aëtius, atque, ut periculum præveniret, ipſum è medio ſuſtulit. Eſt hæc Principum infelicitas, quod ſuis oculis parum videant, ſed ad ſceleratas aulicorum ſuggeſtiones aut innocentes puniant, aut benemeritos odio proſequantur. Par huic etiam Thoriſmundi fatum fuit, quem, quod rebus proſperis inſoleſceret, fratres interficiendum curarunt. Inultus tamen non cecidit: quantumvis enim inciſa vena debilitatus, non paucos tamen percuſſorum morte mulctavit, antequam collaberetur.

Caput X.

FRaterno licet ſangvine regni ſui auſpicia fœdaſſet Theodoricus, potentiam tamen ſuam ita ſtabilivit, ut Imperator Maximus per legatum ſuum Avitum fœdus cum ipſo ferire cuperet. Illam legationem nondum plene obierat

erat Avitus, cum interfecti Imperatoris nuncium consternatus accepit. Et quia Gothis multum acceptus fuit Avitus, autor ipsi fuit Theodoricus transferendæ in se dignitatis imperatoriæ: eamque in rem Romam profecturo exercitum suum commodavit. Affinem inde suum Ricciarium, Svevorum regem, in Romanas ditiones irruentem, amice monuit, ut intra regni sui limites se contineret. Sed cum respondisset alter, se hanc litem Tolosæ armis discussurum; ista insolentia offensus, cum exercitu Pyræneos transiit, comitante Gnodiaco & Gisperico Burgundiorum principibus: commissoq; ad Urbicum flumen, quod Iberiam & Asturiam dividit, prœlio, multa Svevorum millia cecidit. Ricciarius in Africam ad Gensericum fugere tentavit, sed tempestate rejectus in Theodorici manus pervenit; cujus mandato statim interfectus fuit: regiaq; ejus Braga direpta, tota Gallicia in victoris ditionem cessit. Cui Attaulfum, hominem extraneum & sibi postea infidum, præfectum imposuit. Lusitaniam inde petens, Emeritam diripere constituit, sed spectris & ostentis territus, severitatem omisit. Accepto simul, Adiulfum rebellasse, Nepotianum & Nerinum cum copiis misit, qui, sublato rebelli, nationem ad obsequium reduxerunt. Cum altera exercitus parte in Bœticam pervasit Ceurila, totumq; istum tractum in potestatem Theodorici redegit. Fracti igitur animis Svevi & Gallici, sacerdotes suos, delictorum veniam oraturos, ad Theodoricum miserunt: quibus clementer acceptis, ut è popularibus suis, quem vellent, regem constituerent, permisit. Discrepantibus autem sententiis, pars Frautam, alii Masdiam ad hoc fastigium extulerunt. Masdiæ interim mortuo successit filius Remismundus, qui pacem & amicitiam cum Frauta coluit: Frumarum autem successorem ejus sustulit, ut solus regnaret,

ret, ducta Theodorici filia in conjugem. Occupato Hispanicis bellis Theodorico, Franci Childerico rege sedem Parisiis collocarunt. Prohibere id Theodoricus debuisset, ne cum tempore pericula inde regno Gothico enascerentur; sed ille subjiciendis sibi romanis provinciis intentus, ad Rhodanum usq; limites suos extendit, expugnato direptoq; Lugduno. Narbonam etiam ipsi prodidit Agrippinus; ut æmulum suum Ægidium supprimeret. Diu tamen prosperis hisce frui non potuit Theodoricus, nam ut ipse fratri Thorismundo regnum & vitam, ita & huic frater Euricus pari scelere eadem ademit, postquam annos 13 rebus Gothicis præfuisset. Frater ejus Euricus, quod vi occupaverat, virtute retinuit regnum: latis bonis legibus, quibus Resp. contineretur. Huc usq; enim consvetudine patriæ & moribus majorum gubernabantur Gothi. Inde cum Majorianus, Anthemius, Anicius, Olybrius, Glycerius & Julius Nepos rem Romanam tantum non evertissent, universæ Hispaniæ sibi subjiciendæ oportunitatem nactus, fœdere cum Leone Constantinopolitano & Genserico sancito, Lusitaniam in ditionem suam redegit. Bipartitis inde copiis, Pompelonam & Cæsar Augustum expugnavit; Tarraconem vero post longam obsidionem solo æquavit.. Quam severitatem ne experirentur Carthagena & Toletana provinciæ, absq; mora victori se permiserunt. Ita, quod septingentis circiter annis in Hispania tenuerant imperium Romani, amiserunt. Subacta sic Hispania, ad occupandam Galliam animum adjecit. Præfuit illi Arvandus, homo temerarius, qui ob res male gestas imperatoris iram veritus, & in sola fortunæ mutatione securitatem suam reponens, Euricum ad invadendam provinciam Romanæ ditionis, Brittonesq;, Ligrim accolentes, opprimendos invitabat. Sed, detecta prodi-

Arvandoque in exilium pulso, Riothimum Brittonum regem ad armorum societatem adversus Euricum sollicitatvit Athemius: Brittones tamen prius oppressit Euricus, quam Romanis se jungere possent: Burgundionesq; quod fuga elapsum Riothimum recepissent, bello vicit. Quo successu perculsus Imperator Julius Nepos, Epiphanium Episcopum misit, ut pacem conciliaret. Promisit multa Euricus in legati gratiam, quæ tamen Imperatori servanda non duxit. Mox enim in Aquitaniam movens Rutenos, Caducos, Lemovicos, Gabalitanos, urbemq; Avernorum cepit. Vehementius hisce perturbatus Nepos, cum electa manu Orestem misit, ut pauca, quæ adhuc non occupaverat hostis, defenderet. Sed ille natione Gothus, & sublimiora jam animo volvens, traditam sibi potestatem in dominum convertit, Italiaque expulit, & filium suum Romulum Mamylum, alias Augustulum Imperatorem constituit. Euricus interea rerum suarum satagens, Massiliam & Arelate prioribus suis victoriis adjecit. Sed exhibito hic proceribus convivio, cum arma omnium naturalem colorem amitterent, fati sui præsagium persentiscens, Alaricum filium, volventibus regem designavit. (A:o 484) Regnavit annis 17, suis ob fortitudinem & liberalitatem acceptissimus.



RE-

RERUM GOTHICARUM EXTERNARUM
LIBER SECUNDUS.
Caput I.

SI cœptæ narrationis filum ad finem deducendum foret, hoc sibi jam pensum Alaricus vindicaret; sed ipsa rerum temporumque series exigit, ut gesta regum O-Gothorum præmittantur. Memoratum nobis superius, Berismundum, ad quem, patre Thorismundo mortuo, jus regni spectabat, pertæsum dominationis Hunnicæ, cum filio suo Viderico, ad Visi-Gothos transivisse. Ejus itaque discessu vacuum principatum, Hermanarico fratre genitus, Vandalarius sibi adseruit. Tres is filios reliquit nobilissimos, Valamirum, Theodemirum, & Videmirum, qui summa inter se concordia agebant. (*Zosimus*, *Eutrop. Claudianus.*) Precarium enim ab Hunnis obtinentes imperium, expeditionum Attilæ magna pars fuerunt. Phrygiam, Lydiam & Pamphyliam Asiæ provincias etiam invaserunt. Attila tandem in nuptiarum festivitate crapula exstincto, subortaq; inter filios ejus de regno dissensione, O-Gothi, Gepidæ, Marcomanni, Quadi, Heruli, Thuringi, excusso jugo, prœliis victos Hunnos, in ultimam Schytiam pepule-

pulerunt. Et ceteris quidem, ut cuique commodum, loca occupantibus, O-Gothi majorem Pannoniæ partem sibi subjecerunt. Horum legati stipendia & munera popularibus, ab Imperatore Constantinopolitano Leone poscentes, cum viderent Theodoricum Strabonem, Triarii filium, Gothum quidem, sed non ex Amalorum stirpe, Imperatoris gratia florere; nec ipsi pro voto exciperentur, indignati ad suos reverterunt. Quos, Illyricum ea propter vastantes, Imperator ut placaret, munera & stipendia offensis misit, & in posterum etiam missurus, Theodoricum, Theodomiri filium septennem, solidioris amicitiæ obsidem accepit. Inde cum pati non possent Satagas Pannoniæ partem tenere, arma in ipsos vertere, Dryziumque Hunnorum regem auxilio venientem, tanta clade adfecerunt, ut nunquam inde Hunnorum vires coalescere potuerint. Parva inde injuria bello in Svevos gerendo causam præbuit. Direpta enim Dalmatia, cum, in reditu per Pannoniam, Gothorum armenta corripuisset Hunnimundus, prœlio captus, sed mox cum honore demissus à Theodomiro fuit. Id tamen ille non beneficium sed injuriam interpretatus, Sciros Danubii accolas in Gothos concitavit; quorum improviso assultu Valamirus oppressus interiit. Samatas etiam Gepidas & Rugios Theodomiro hostes fecit. Hos tamen Theodomirus, auxiliante fratre Vidimiro, ingenti clade cecidit; & per Danubium frigore concretum copias in Svevos ducens, obvia quæquæ ferro & igne vastavit. Atque sic fratris necem ultus & præda onustus, domum revertit, filiumque Theodoricum, annum decinum octavum agentem, cum muneribus ab imperatore remissum, lætus excepit. Mox ille juvenili ardore exultans, lecta militum manu, patre inscio, in Sarmatas profectus, regem ipsorum Babaj interfecit, Singidonemque

&

& alia cepit. Et, quia bello adſvetis pax ſemper inops & gravis, Theodomirus, Macedoniam populatus, capta Illyrici urbe Naiſſo, Theſſaliæ Heraclea & Lariſſa, in Pannoniam rediit; multaque per Illyricum & Mœſiam, non vi ſolum, ſed & Imperatorum pactione tenuit. Gothorum partem, Videmiro Duce, Italiam impetiviſſe, & tertiam agrorum partem flagitaſſe, ſed pecuniis a Glycerio mitigatam, ex Jornande & Marineo Siculo colligi poteſt. Succeſſit Leoni Zeno Iſauricus. Hic Theodoricum, mortuo jam patre, Gothorum regem, Conſtantinopolim evocatum, ſummo in honore habuit, propter religionis Arianæ ſtudium, & ut gentem bellicoſam ſibi obſtringeret. Filium namq; eum adoptavit, Patricium & conſulem ordinarium creavit, ſtatuamque Equeſtrem ſibi collocavit. Sed cum ille apud Imperatorem Byzantiis deliciis fruitur, cives ejus in Illyrico & Mœſia, pacem ſibi, ſtipendiorum defectu, calamitoſam queruntur, &, ut ſibi proſpiciat, orant. Percommodum ipſi accidit, quod, Italia miſere vaſtata ab Herulorum rege Odoacro, ſenatus Romanus aſſiduis literis & internunciis auxilia ab Imperatore flagitabat. Iſta igitur occaſione uſus, Imperatorem adit, &, diu eſt, inquit, quod non ut externum aut militem, ſed filii locorne habes; nec ulla ego pietate adfectum tuum æquare poſſum. Summum eſt, quod pro iſto tibi à Deo vovere poſſum, tuam & imperii perpetuo florentem fortunam, cui ſi quid eveniat adverſi, non minorem inde triſtitiam percipio, quam ex proprio infortunio. Excruciant profecto animum meum, qui huc quotidie de Italiæ calamitatibus perferuntur nuncii: Cur dominam & Caput orbis, Romanæq; gloriæ domicilium, tanta indignitate & ludibrio vexet Odoacer, externus Barbarus, Tyrannus? Obtundunt aures meas quotidie Gothi mei; queruntur ſe otio marceſ-

 ſere,

ſere, egeſtate premi; Vandalos in Africa florere; Viſi-Gothos Hiſpaniam tenere; Burgundios Galliam occupaſſe; Herulos & Turcilingos orbis florem Italiam ruinis involvere: ſe mortalium infeliciſſimos, inter ignaviam & otium perire. Non queruntur de ſtipendiis, quæ abs te perſolvuntur liberaliſſime: Sed queruntur virtutem ſuam quiete hebeſcere; & robur maſculum ſine armorum exercitio emolleſcere. Si placui tibi in filium, expeditionem hanc mihi manda, ut Gothorum meorum virtute Italiam Tyranno extorqueam. Nam & tuo honori vicero, & quicquid hoſti ereptum fuerit, filio tuo, fœderatisque Gothis ceſſerit. Si vero adverſa foruna virtuti inviderit, noſtra ſunt pericula, noſtra damna, nulla incommoda nullæ calamitates inde ad imperium redundabunt. Ærario inſuper peperceris, ſtipendiis in Gothos ulterius non conferendis, & urbi atq; ſenatui populoq; Romano alienis impendiis auxilium tuleris. Eſt mihi gens alacris, & belli hujus cupida, quæ tyranno, publico omnium odio laboranti, prædam facile excutiet. Intelligentq; homines, plus poſſe nominis & gloriæ tuæ vindices, quam omnes Romanæ majeſtatis everſores. Delectatus juvenis modeſtia & alacritate imperator, rem ad ſenatum retulit. Multi Theodorici partibus favebaut, quod tantis ſumtibus ærarium levari conduceret: Italia calamitatibus ſuis eriperetur; & benemeritus atq; gratioſus juvenis ſpecioſo magis quam ſolido beneficio obſtringeretur. Miſerabantur alii imperii fatum, eo jam anguſtiarum redacti, ut propriis auſpiciis & armis irruentes Barbaros ſubmovere non auderet: Herulum contra ſenatus voluntatem & minori cum turpitudine Italiæ incubare. Illud vero dedecus nunquam aboleri poſſe, ſi ſenatus Imperatorisque conſenſu imperii ſedes & domicilium extraneis addiceretur.

Spe-

Speciosis tamen necessaria præferentibus consultius visum, emissam Italiam Theodorico concedere, qui hoc beneficio obstrictus, certus amicus, firmumq; imperii præsidium; sed repulsam passus, haud dubius cum tota gente sua hostis esset futurus. Byzantio discedentem, cum senatu & populo extra urbem eum deduxit Imperator, splendide donatum, &, ut Italiæ bene consuleret, oratum.

Caput II.

HOrum non ignarus Odoacer, Tratillam Gepidarum, & Brisam Bulgarorum regem cum Turcelingis, in itinere hostes Theodorico objecit. (Ricobaldus Ferrariensis hist. gen.) Quibus prœlio victis, ad Tisontium flumen castra metatus est: trajectoq; flumine, Odoacrum ad Aquileiam primum, inde ad Veronam superavit, urbe capta, multisq; hostium in Athesin se præcipitantibus. Hac clade adfectus Romam tendit; sed cum clausis portis non admitteretur, obvia quæq; incendio corrumpens, Ravennam secessit; ibique bellum in longum trahendo necessaria providit. Theodoricus vero, Gallia Transpadana in fidem accepta, Mediolani ad reficiendum exercitum constitit. Communitoque Ticino, impedimenta, matrem & ceteram inbellem multitudinem ibi reliquit: Ravennamque tendens, triennali obsidione expugnavit, & Odoacrum una cum filio in fidem receptum interfecit. Herulorum vero reliquiis, circa Augustam prætoriam (Taurinorum) sedes tribuit. Durante inter Theodoricum & Odoacrum bello, Gundebaldus Burgundiorum rex, vastata Liguria, magnam prædam & captivorum multitudinem abegit. Pro illis redimendis Germanum Ficinensem, vel ut alii, Epiphanium Antistitem legavit. (*Marin. Sicul.*

Bernhardus, Justinianus.) Pacatis sic undique rebus, Italiæ dominus salutatus, Romamque publico adplausu ingressus, omnia urbis ornamenta, muros, aquæ ductus, thermas & ædificia publica miserum in modum deformata restituit: Senatoribus, ad egestatem redactis, stipem annuam, & 120 millia modiorum tritici populo annuatim deputavit. (*Ricobald.*) Legibus etiam restitutis, urbem senatui gubernandam permisit. Ipse Ravennam sibi sedem regiam elegit, Romam consulto vitans, ne ex religionis diversitate, & æmulatione inter Gothos Romanosque animorum divulsio, rebus turbandis semper intenta, enasceretur. Ita sub hoc rege effloruit Italia, ut priorum calamitatum oblivisceretur. Patavium, ab Attila dirutum, pristinum suum nitorem recepit. Eoq; coërcitis latrociniis, ubique securitas fuit, ut nulla sub custodia res possessoribus integræ & intactæ manerent. Fuit & justitiæ severus exactor Theodoricus, & in discernendis controversiis solers. Quod vel hoc facto satis liquet. Cum in sponsi gratiam filium domo ejecisset mater, & apud regem de injuria quereretur adolescens, negavit mulier filium suum esse: nubas ergo ipsi, inquit Rex, & pœnam recusanti repræsentavit. Et cum effugio non esset locus, verum fateri coacta est. Latissime autem patuit O-Gothorum regnum hujus Theodorici tempore. Nam præter Italiam & Siciliam tenebat quoq; Rhetiam, Noricum, Dalmatiam, Liburniam, Istriam cum magna Pannoniæ parte & Gallia Narbonensi. Bellum ejus causa cum Clodoveo Francorum rege gestum, ubi ad Amalaricum ventum, exponemus. Ad tam late patentem ditionem in fide & obsequio continendam, firmandumque principatum inter inimicas gentes recens fundatum, non armis tantum & virtute suorum, sed vicinorum etiam benevolentia &

fœ-

fœderibus opus esse considerans Theodoricus, potentiores quosque reges, à quibus vel pericula timere, vel commoda sperare poterat, adfinitatibus sibi adstrinxit. Audefledam, Clodovei filiam, (sororem *scribit Mariana lib. 5. c. 6.*) conjugem ipse duxit: sorore sua Amalafreda, Thrasamundo Vandalorum regi & ex ea Nepte Amalaberga Hernefrido Turingorum regi collocatis: Theudegodam vero (*Theudicusam vocat Procopius. Theudedusam Sigon.*) & O-Gotham filias Alarico W-Gothorum regi alteram, alteram Sigismundo Burgundiorum regi sociavit. Amalasventa vero, Eutherio nupta, Atalaricum genuit, Theoderici testamento designatum successorem. Hisce amicitiæ munimentis, & exacto justitiæ cultu principatum 7 & 30 annos magna cum commendatione tenuit: tam suis Romanisque carus, quam formidatus hostibus. Pietatem ejus in Deum quantumvis Ariani, nemo desideraverit; omnia enim humanitatis officia Catholicis præstitit; & ut bene ipsis esset providit. Et proinde paria ab ipsis non immerito exigebat. Nam cum Justinus Imperator, edictum de Arianis Episcopis, toto imperio ejiciendis, promulgasset, id in contumeliam trahens Theodericus, Pontificem Johannem, cum Agapeto & Patricio consulibus ad ipsum legavit de edicto abrogando. Nam si aliquam Arianis injuriam irrogaret Imperator, se pari severitate Catholicos Italia exacturum. Qua fide legationem obierit Pontifex haud dixerim, reversum certe in carcerem conjici mandavit Theodericus; ubi & contabuit. Bœthium etiam Severinum & Symmachum socerum ejus utrosque consulares, rerum novarum delatos, morte mulctavit. Primum id & ultimum injuriarum in subditos illi fuit; quod non adhibita inquisitione de tantis viris statuerat. Ita tamen facti hujus ipsum pœnituit, ut doloris magnitudine non multo post decessit. Ca-

Caput III.

MOrtuo Theuderico, regnum filio Atalarico adhuc impuberi administravit mater Amalasventa, fœmina ingenio, literis & eloquentia excellens. Quæ cum filium Ludimagistro tradidisset, ut literis institueretur, tres etiam senes illi adjunxisset, quæ consvetudine sua ad virtutem & honestatem ipsi præirent: istam educationis curam calumniantes nonnulli procerum insolentiores, à Magistris abstractum puerum moribus perditis imbuerunt: dissimulante jam matre, quia prohibere non potuit. Et cum ipsi non parum periculi à fœmineum imperium adspernantibus immineret, tres præcipuos conjurationis, honoris specie, primum relegavit, inde & sustulit: stabiliendoque principatui omnibus viribus incubuit. Et cum Galli Theuderici metu prius cohibiti, rebus jam novis studerent, & quæ Theudericus occupaverat, invadere jam minarentur, ne domi forisq; periclitaretur, provinciam Narbonensem ipsis restituit. Agebat in Thuscis Theodatus, Theoderici nepos; multorum prædiorum dominus, literis & Platonis doctrinis institutus, sed supra modum avarus & in vicinos injurius. Quem cum in ordinem redegisset, grave in ipsum odium concipiens, Italia Justiniano prodere annixus est. Moritur inter hæc Atalaricus, & Amalasventa nova perplexitate fluctuans, ut fragilitati suæ consuleret, Theodatum maritum & imperii consortem fecit. Mox autem hominum ingratissimus, custodia ipsam includit, in insula Volsinensi, & interfectorum cognatis occidendam permisit, à Theodora Justiniani conjuge inductus, cui virtutes Amalasventæ odio erant (Procop. in arcan. hist.) Quod cum optimus quisq; perquam acerbe ferret, occasioni intentus Justinianus, bellum Theoda-

odato denunciavit & intulit. Missus in Dalmatiam Mundus Salonas cepit: Sed mox à superveniente Grippa & Asinario cæsus & cum filio interfectus fuit. Belisarius autem, prosperiore fortuna usus, tota Sicilia Gothos ejecit cum duce Sinderico. Inde in Italiam trajiciens, Neapolim post 20 dierum obsidionem vi cepit. Theodatus interim ad se regnumq; defendendum nihil comparavit, pacem indecoris etiam conditionibus ab Imperatore petens. Irati igitur ignaviæ ejus Gothi, Vitigem creant regem; hominem non genere, sed virtutibus regiis. Ejus mandato Theodatus interfectus fuit. Ipse relicto Romæ præsidio Ravennam tendit, ut, quæ bello necessaria essent, strenue pareret. Cumq; Calabria occupata & Roma sponte dedita, Belisarii etiam Duces per Umbriam & Hetruriam, cæsis circa Perusiam Unila & Pitza Gothorum ducibus, res prospere gererent, qui adhuc in Gallia sub Marsia duce præsidia habebant Gothi, evocavit: loca vero hucusq; Gothis insessa, Childeberto, Theudiberto & Clotovio reddidit Francorum regibus, ut amicis illis & sociis contra Belisarium uteretur: Asinariæ inde & Ulisigaisto ducibus ingentem misit exercitum ad recuperandam Dalmatiam: Ipse cum 150 millibus Romam festinavit; prodeuntemq; Belisarium in urbem rejecit. Obsessis ad nefandos cibos compulsis, novo suplemento auctus Belisarius ad conferendum prælium erupit. Sed amissis suorum plurimis intra Urbem repulsus fuit. Tandem cum annuæ obsidionis mala & ex inedia pestis etiam obsidentes premeret de trium mensium induciis inter Vitigem & Romanos, quibus jam commeatus invectus cum novo militum suplemento, convenit: ut legati Byzantium irent, de pace acturi. Ruptis tamen utrinque induciis obsidionem solvit Vitiges, à Belisario mox circa Ariminium cæsus, Ravenna inde inclu-

clusus eo angustiarum redactus fuit, ut sibi Gothisq; securam rerum & agrorum possessionem pactus, Belisario se traderet, Gothis Romanisque regio titulo inde imperaturo. Sed quamprimum Vitigem in potestatem suam redegisset Belisarius, pactorum immemor, ipsum secum Byzantium duxit. Delusi sic à Belisario Gothi, recusante Uraria, Ildibaldo principatum conferunt. Firmando imperio is diligens, Vitalim Justiniani præfectum, ad Tarvisium magna clade adfecit. Restitui forsan hoc homine res Gothorum potuissent, nisi ipsum pariter & Umbriam, fœminea ambitio & jurgium sustulissent. Ildibaldi quippe uxor ab Uraviæ conjuge contemtim habita, maritum ad Uraviæ necem impulit: Contracto hinc apud Potentiores odio, vitam sibi abstulit Vitalis. Erarico etiam rebus adhuc turbidis præposito, propter ignaviam & occulta cum Justiniano consilia, quinquemestre imperium cum vita ablatum, Totilæ Ildibaldi nepoti, viro strenuo, & ad res obeundas alacri contulerunt Gothi. Et insigne is virtutis suæ documentum ad Padum exhibuit, cæso cum ducibus imperatoris exercitu, signisque omnibus in potestatem redactis. Ad Florentiam iterum coëuntes copias ita dissipavit, ut quo sors vel metus quenque abripiebat, dilaberetur. Victorem sic exercitum per Umbros, Sabinos, Marsos & Campaniam circumduxit. Benevento muris nudato, ne fugienti hosti nidum præberet. Cum Neapolim obsessam strenue defenderet Conon, ne frustra tempus tereret, expugnatis Cunis, magna in illustriores Romanas fœminas clementia usus est. Brutios inde Lucanos, Apuliam Calabriamque in potestatem redegit. Justinianus, ut Neapolitanis subveniret, cum instructissima classe Maximinum & Demetrium misit. Omnis tamen illa classis in Totilæ manus pervenit, cæsis propugnatoribus.

De-

Demetrius vero fuga elapsus aliam in Sicilia restauravit: Sed cum Herodiano & Plaza Neapolim iterato navigantem tempestas ad littus, Gothis infessum, compulit. Venetiis ille & Neapolitanis offensus, fidem ipsis fecit, classe bis expugnata, non superesse aliud auxilium. Animo igitur fracti Totilæ se dedunt, qui ea in devictos usus est humanitate, qualem nemo ab hoste exspectaverit; mœnia tamen diruit, ne quando receptum ab hostibus oppidum, rebus Gothorum incommodaret.

Caput IV.

HIsce Gothorum successibus perculsus Justinianus, Belisarium in Italiam iterum misit, si rem Romanam forte restituere posset. Totilas vero in Pisenos concedens, Firmum & Asculum expugnavit, pluraq; Thusciæ munita loca in potestatem redegit: Romamq; ipsam fame ad extremum redactam, Belisario succurrere frustra annixo, cepit. Pelagius Pontifex, pacis impetrandæ causa, Byzantium missus, cum aliud responsum non referret, quam quod belli arbitrium Belisario commisisset Imperator, iratior Totilas tertiam murorum partem dejecit; omnia antiqua urbis ornamenta pari inclementia eversurus, nisi indignationem ejus deprecatus fuisset Belisarius. Abstractis senatoribus, urbeque in solitudinem redacta, partem copiarum Belisario objecit; ipse in Johannem Vitaliani movens, Brutios, Calabros, Lucanos omnemque Adriæ oram præter Hydruntum suæ potestatis fecit. Belisarius vero tumultuario opere muros Romanos refecit, aggeres propugnaculis ligneis ductisq; fossis muniens, commeatu etiam invecto, qui tolerandæ obsidioni sufficeret. Adcurrens mox Totilas cum urbem expugnare nequiret, in

Calabriam revertens, Johannem Vitaliani profligavit, castris ejus direptis: nova inde imperatoris auxilia, in Italiam adpulsa, delevit. Adversis hisce animo concidens Belisarius, in Siciliam cum uxore navigavit: toto quinquennio, quo in Italia fuerat, nulla re memorabili gesta. Romam iterum capiente Totila, Centum cellas aufugit Diogenes præfectus: Paulum vero, cum centenis aliquot, Adriani monumento inclusum, ne in mortis ultionem erumperet, quo vellet, cum suis abire sinit. Restaurata inde utcunque urbe, populoque revocato, Rhegium occupavit, trajectoque in Siciliam exercitu, pleraque omnia sibi subegit. Facta inde in Græciam excursione, urbes non paucas victor diripuit. Neque segnius præfecti ejus, expugnato Armino, Herulorum Ducem Verum, cum omnibus copiis, deleverunt. Et actum plane de Imperatoris in Italia rebus fuisset, si ad Ancoram navali prœlio vicissent Scipuar & Gundulf: Sed superati hic Venetorum auxiliis à Valeriano & Johanne Vitaliani, tantam rerum conversionem attulerunt, ut copias suas ex Sicilia revocare coactus fuerit Totilas. In Italiam etiam jam properabat Narses, novus Justiniani Dux, auxilia secum trahens Longobardorum 12 millia, Herulorum 3000. Gepidarum inde, Hunnorum, Persarum, Græcorum, Macedonum, Tracum & Illyriorum tantas vires, quantas Italia antea non viderat. Ad Padum constitit Thejas, ut hostem transitu prohiberet: Sed cum tanta suorum paucitate resistere non posset, de summa rerum sibi decernendum videns Totilas, ordinatam aciem suam Narseti ad Appenninum objecit. Ibi utriusque ducis cohortatione incensus miles cruentam pugnam inivit. Turbatos ruptosque suorum ordines cum restituere frustra conatus esset " Totilas: Ego, inquit, Gothorum in Italia Secundus Rex.

" & Theu-

& Theuderici Magni successor non patiar me ab Eunu-„ cho homine in triumphum duci, ut ludibrio sim pu-„ eris fœminisque Græcis.„ Atque cum dicto, cohortem fortissimorum militum in hostium agmina raptans, egregii Ducis militisque vitam morte non degeneri clausit. Disjecti palantesque Gothi, Ticinum concesserunt, ibique Thejam hominem manu strenuum & militiæ bonum sibi præficiunt: qui absque mora ex Gothis, Burgundionibusque exercitum Narseti formidabilem conflavit. Ceperat hic Romam defensoribus vacuam, & Cumas, ubi Gothorum pretiosiora recondebantur, in potestatem redigere laborabat. Thejas ut loco succurreret, 100 millium exercitu in Apuliam venit, expugnataque Nuceria, sed commeatu interclusus, prælio rem commisit: nec detrectabat certamen Narses, viribus haud inferior. Pugnatum est à prima luce ad noctem, non fortiter tantum sed & acriter. Thejas cum scutum pilis perforatum ter mutasset, vulneri patens, corruit; eo tamen virtutis documento prius edito, ut inter Duces clarissimos non postremum meruerit locum. Ducis casu nihil consternati ceteri, noctem in armis egere, & ab exorta luce ad tenebras usque iterum dimicaverunt. Tertio demum die, non victis sed fatigatis pax utrinque placuit. Narseti Cumæ deditæ, & qui cruento certamini superfuerunt Gothi, in Transpadanam regionem concesserunt, ea lege, ne iterum Imperatori negotium facesserent. Septuagesimus 2:dus hic fuit annus dominationis O-Gothorum in Italia.

Caput V.

PErcensitis strictim rebus O-Gothorum, intermissam superius de Visigotis narrationem jam porro continuabimus.

bimus, facto ab Alarico initio: qui tametsi multa justitiæ & clementiæ laude 23 annos regno præfuisset, quia tamen Gallia Gothica & vita eum privavit Clodoveus, culpæ ei tribuitur à multis, quod fortunæ fuit. Benignitatem ejus, quantumvis Ariani, non desideraverint Catholici, quibus potestatem fecit celebrandi consilium Agathense, in quo præclara nominis ejus memoria, & pro incolumitate ejus preces ad Deum conceptæ. Romanas provincias ut sibi obsequentiores haberet, decerptas Ariani opera è codice Theodosiano leges ipsis concessit, ut libertati suæ magis provisum existimarent. Possidebat totam Hispaniam, Galliamque Rhodano, Ligeri & Oceano inclusam. Hanc magnitudinem regni, quod Parisiis moliebatur, umbram facere videns Clodoveus, belli prætextus quæsivit. Sparsa igitur de finibus lite, maleficos aliquot à se proscriptos apud Alaricum recipi postulabat; quoque majus injuriæ pondus apud vulgus esset, quod veras causas non examinat, religionis negotium admiscuit; Indignissimum esse regem Arianum tam bonam Galliæ portionem tenere, neque securum à se Parisii futurum, quamdiu ultra Pyrenæos extenderetur potentia Gothorum. Gliscens inter socerum & generum discordiæ malum ut sopiret, per legatos autoritatem suam interposuit Theudericus Italiæ Rex. Gundebaldum etiam Burgundiorum regem, generum itidem suum sollicitavit, ut ad exstingvendum ignem operam commodaret, ne forte incendium latius aliquando diffunderetur. Sed Galliæ Gothicæ inhians Clodoveus Theuderici monita insuper habuit, & Gundebaldus, dum per legatos compositionem acrius urget, alienas simultates suum bellum facit. Debuisset adfini opem ferre Alaricus, hostemque foris atterere, priusquam coaluissent vires; Sed periculum sæpe non

ca-

cavent principes, priusquam eo implicantur. Destructo Gundelbaldo, universas vires in Alaricum effudit Clodoveus. Constitit in Pictavis uterque exercitus. Certamen autem detrectavit Alaricus, usque dum auxilia ab Theuderico advenirent: eoque fine in Avernos se recipere cogitavit. Sed intercepto itinere pugnam conserere necessum habuit. Et turbatos suorum ordines increpans; Siccine, aít, tot seculorum gloriam uno momento turpiter " amittetis? Siccine à pedibus & imbelli tergo potius, " quam ab armata dextra salutis præsidium querendum " existimatis? In virtute & audacia sita est victoria, præ- " da, gloria; in fuga ignominia, servitus, dedecus, exiti- " um. Respicite, quemadmodum fugæ vestræ vestigia san- " gvine meo sum deleturus." Simul equum in densissima hostium agmina incitavit: Secutus regem miles, magno animo prœlium restauravit. Rege tandem cæso in fugam vertuntur ceteri, huc illuc palantes. Qui prælio non interfuerunt, ad Burdigalam novum certamen ineuntes pariter profligantur, potitusque est victor Gallia Gothica, (Anno 531.) quæ ab Attaulfo ejusque successoribus 95 circiter annos possessa fuit.

Caput VI.

AMalarici infantia spreta, sceptrum invasit Gesaleucus, Alarici filius nothus, homo sine virtute & imperandi artibus. Neque parva hic Theuderici astutia, qui Gundebaldo & Alarico in tempore non subvenit, quo partam à Clodoveo Burgundiæ partem acciperet. Postquam vero vita generum, nepotem regno spoliatum vidit, alterius ad potentiæ accessionem fieri noluit, quod belli jure sibi adserere posset. 80 proinde armatorum millia, Ebbone duce, ad Charchasionem obsidione liberandam & Galliam Gothicam recipiendam misit. Hujus expeditionis

nis ea fuit fortuna, ut 30 Francorum millibus cæsis, Aquitaniam & Gasconiam sibi subjecerit: urbibus vero in potestatem redactis præsidia O-Gothorum imposuit. Gesaleucus Narbona à Gundebaldo ejectus, ad Trasamundum in Africam profugit; parato ibi auxilio pecuniario, exercitum iu Gallia comparavit, transitisque Pyræneis, non procul à Barcinone ab Ebbone cæsus est & interfectus. Indignantem Theudericum, quod auxilium nactus Gesaleucus, missis donis & oratoribus adfinem placavit Trasamundus. Magna inde Theuderico cura fuit, ut armis occupatam provinciam pacis artibus stabiliret. Ebboni igitur & Gemello præsidi provinciæ præcepit, cives ita tractarent, ut sub Gothico imperio vivere amarent: belli tempore ablata locis sacris restituerent, nec quicquam omitterent, quod conciliandæ civium benevolentiæ oportunum esset. Arelatensibus vectigalia remisit, & collapsos urbis muros de suo restituit. Stipendia militibus ut in promtu essent, magna cura providit. Teudium in Hispaniam misit, ut tutoris nomine nepoti Amalarico regnum administraret: ubi fortunæ suæ intentus, cum matrimonio, clientelis & potentiorum amicitiis, regias opes æmulari cæpisset, honoris specie in Italiam ipsum evocavit, sed variis se prætextibus excusavit: dissimulavitque iram Theudericus, ne, si arma minaretur, publice auderet, quod privatim moliebatur. Mortuo Theuderico, Amalasventa Theudeberto provinciam Narbonensem & Amalarico jus omne, quod in Galliam Gothicam, O-Gothorum armis recuperatam, habuit, rescripsit, ut Italia pacifice frueretur filius Alaricus. Amalaricus rerum jam potiens, Gotildam, Clodovei filiam, uxorem duxit: Sed religionis discordia matrimonii felicitatem turbavit. Aspere enim à marito habita uxor,

fratres Childebertum & Clotarium in arma perpulit, quibus sororis vindicta pretexebatur; reipsa Gothos Gallia ejicere studium fuit: quorum potentiam & vicinitatem semper invisam habebant. Objecit irruentibus exercitum Amalaricus, sed à Childebertti equitatu superatus, in fuga à suis interfectus est, postquam 5 annos parum feliciter regnasset. Childebertus, recepta sorore, spoliis onustus revertit: Sed in itinere decessit Gotildis, funesti belli conciliatrix. Narbona vero & urbes maritimæ adhuc in potestate Gothorum remanserunt. Interfecto Amalarico regnum iniit Theudius, qui privatus regiam fortunam prius æquabat, nec imparem rebus gerendis animum adferebat. Childericus & Clotarius, quia contra Amalaricum prospere prius pugnaverant, parem sibi contra Theudium fortunam augurati, transitis Pyrenæis, Cæsar Augustum obsederunt. Sed clade hic accepta, interclusoque reditu, auro sibi transitum ab Theudegislo redemerunt. Aperuit ille unius diei iter, ne cum desperatis, quibus etiam ex auro pontes struendos, belli quidam consultus svasit, pugnandum sibi foret. Elapso induciarum momento, in festinantium multitudinem, quæ ipsa se morabatur, effusus Theudegislus non parvam stragem edidit. Hoc successu ad majora incitatus Theudius, specie auxilii Vandalis contra Belisarium ferundi, in Africam trajecit, Septamque, ad freti Geditani fauces sitam, obsidione cinxit. Verum cum in sabbathi reverentiam obsidendi laborem intermitteret, erumpentes oppidani castra ejus ceciderunt. Ipse sine gloria domum reversus, subsecutos Gelimeri legatos, auxilia rogantes, excepit. Sed conclamatis jam Vandalorum rebus, calamitatis societatem abnuit. Regnavit annos 16, mensesque 5. Vitam ipsi in Palatio abstulit

Par-

Parricida : (Anno 548) pro quo moribundus intercessit, ne morte mulctaretur. Agnoscere enim se divinam ultionem, ob homicidium à se pridem perpetratum. Ob spectatam Francico bello virtutem Theudegisli, regem eum fecere Gothi, Totilæ O-Gothorum regis ex sorore nepotem. Sed læta regni initia, vitiis postea luctuosa fecit. In libidines quippe & cædes inverecundior, cum plurium fœminarum pudicitiam corrupisset, maritosque clam vel juris specie sustulisset, suorum conjuratione inter epulas est interfectus, vix imperii biennio expleto.

Caput VII.

Si convenientibus adquiescere ambitio posset, nec ad honoris splendorem cœca, altiora semper sequeretur, in privata sorte multi felices viverent, qui publice sunt infortunati. Speravit Agila in accepto imperio summam felicitatem, sed oneri tanto impar ruenti moli succubuit. Cordubam rebellantem ad obsequium redacturus excercitum filiumque amisit. Atque ut infelicibus undiquaque hostes, ita obsequinm mox exuit Atanagildus, qui, ut Tyrannidem stabiliret, promissa Hispaniæ parte, Imperatoris Justiniani auxilia impetravit. Commisso apud Hispalim prœlio, Agila interfectus, regnumque in Atanagildum translatum fuit, ne, commissis inter se Gothis, Hispaniam Romanus eriperet. Voti compos Atanagildus arma in Romanos convertit, quorum ope sceptrum Agilæ extorserat. Firmatos tamen jam in Hispania, quantumvis pluribus prœliis, ejicere non potuit. Ut arctiorem cum Franciæ regibus contraheret amicitiam, filiam suam Galsunidam Chilperio, & alteram Brunichildem fratri ejus Sigeberto collocavit. Utrumque tamen infelix matrimonium funestam in theatro Franciæ exhibuit tragœdiam.

am. Galſundiam quippe, æmulationis impatientem, laſcivus pellicis Fredegundæ ſubvertit amor; cujus inſtinctu, tanquam ſuperbam & contumacem ſtrangulavit maritus. Accepta inde in thalamum pellex pari odio Brunichildem perſequebatur, ſororis necem indigne ferentem. Intendit odium regni Pariſienſis acceſſio, quod, mortuo fratre Chereberto, in maritum ejus Sigebertum tranſierat. Furens igitur fremenſq; percuſſores in Sigebertum miſit. Quo acerbo caſu conſternata Brunichildis cum filio Childeberto Remos inde Rotomagum fugit. Hic forma ejus captus Meroveus, Chilperici filius, noverca invita, uxorem ipſam duxit. Quamobrem in rabiem concitata Fredegundis, privignum Meroveum cum fratre Clodoveo, immiſſo percuſſore, ſuſtulit. Ad hanc impietatem mariti Chilperici parricidium adjecit, ut licentius adulteri Landrici amoribus frueretur: Sed nihil actum rata, quamdiu Brunichildis ſupereſſet, bello ipſam perſecuta eſt. Et, cum crudeli deſiderio ſatisfacere viva non poſſet, maternæ ſævitiæ rabiem perſequens filius Cloſarius, victam captamq; Brunichildem, caudæ ferocientis & ad curſum incitati equi alligatam diſcerpi fecit. (Anno 567.) Atanagildi mortem, 5 menſium excepit interregnum, rebus Gothicis non minus pernicioſum, quam funeſta aliqua ſtrages. Nam & factionibus abrepti cives publico peſſime conſulebant, & occaſione utentes Romani, ſuum in Hiſpania dominium latius extenderunt. Præ oculis eſſe poterant Amalaſventæ & Theodati, tum & nepotum Genſerici in Africa diſſidia, quæ O-Gothorum pariter & Vandalorum regnum everterunt. Sed cum fata urgent, alienis caſibus haud movemur. Et erupiſſet in publicum exitium procerum de rege creando diſſentio, quam Chilperius Francorum rex fovebat, niſi Fonda magnæ vir autorita-

tis, & juxta patriæ amans, istam discordiam gravi oratione composuisset, sceptrumque Licinæ adseruisset. Sed hic Licina cum grave regni pondus vix per annum sustinuisset, fratri Leovigillo totam Hispaniam sponte tradidit: reservata sibi Gallia Gothica, qua & ipsa non multo post potitus est Leovigillus, fratre mortuo. Prima regni ejus cura fuit, Romanos Hispania ejicere: collatisque apud Bastanam signis, victor Cantabriam in suam redegit ditionem, tum & Aspidio, ceterisque defectionis ducibus captis, Aquitaniam pacavit: Cordubam etiam diu rebellem ad obsequium reduxit. Sumto inde, ob religionis diffidium, in Ariomirum Svevorum regem bello, cum exercitu Galliciam ingreditur. Ariomiro autem, bellum deprecanti, inducias concessit, quod Imperatoris Justini copias in procinctu esse nunciaretur: (Anno 577.) Quibus cum prœlium mox conserens, insignem adeptus est victoriam. Parta sic armorum requie, pacis studia complexus, Eurici leges emendavit: Cumque communi cum ceteris cultu reges huc usque vixissent, purpuram ille & ceterum dignitatis splendorem addidit; quo majorem fastigio isti reverentiam conciliaret. Viso etiam, quam facile milites regum, quos elegerant, sangvine arma cruentarent, ut electionis pericula vitaret, & regiam in stirpe sua dignitatem conservaret; Romanorum more Ermenegillum & Recaredum filios, ex Theodosia Theodorici nepte, sorore vero Isiodori & Leandri Archi-Episcoporum Hispalensium, susceptos, regni consortes fecit. Ermenegillo etiam Ingundam, Stigeberti filiam, neptem Gosvindæ viduæ Atanagildi, quam, mortua Theodosia, sibi copulaverat, in matrimonio dedit. Quæ cum blandimentis uxoriis maritum ab Ariana religione deduxisset, socium vehementer acerbavit; suscitatoque inter patrem filiumque bello,

bello, maritum perdidit. Sumto enim Catholicorum præsidio, & moneta in paterni dissidii exprobrationem percussa, Imperatoris insuper auxiliis confisus, hostem se parenti professus est. Pater, cui funesta futura erat victoria, undecunque staret, cum blandis filium literis ad saniora flectere non posset, ut Catholicorum studiis ipsum denudaret, congregato Toleti consilio, ex Arii doctrina multa in Catholicorum gratiam verbotenus emendavit. Sublata sic religionis lite Ermenegilli partes deserebant, aut fovebant langvidius: pleriq; etiam alienorum periculorum Spectatores potius, quam participes esse malebant: neq; imperatoris milites, auro ab Leovigillo corrupti, fidam Ermenegillo operam præstiterunt. Gravi igitur obsidione Hispali conclusus, cum se defendere amplius non posset, in munitum se Castrum recepit; indeque repulsus, ad propinqui templi aram confugit. Quo accedens Recaredus multis fratrem lacrimis oravit, ut, ad placandam patris iram, tempori se accommodaret. Et si fixum sederet, Catholicam religionem non relinquere, simularet tamen, quoad Patris fata integram ipsi rerum omnium potestatem traderent: religionis quidem prætextu defectionem excusari non posse, quod libera cuiq; sacra sua parens promisisset. Iram tamen ejus non vereatur, qui osculo & amplexibus venientem sit excepturus. Sic aris abstractum Parenti stitit, qui venienti dextram & osculum dedit, blandeq; monuit, ut susceptam temere hæresin relinqueret. Sed cum nulla obstinatum monita à proposito deducere possent, carcere primum inde & morte eum mulctavit. Inde filii obstinationem Episcopis Catholicis imputans, Leandrum, Fulgentium, Belelarum, Licinianam; Mausonam & Vincentium Abbatam proscripsit. Vincentius autem, Cæsar Augustanus Episcopus,

Arianam doctrinam, præmio illectus, acceptavit. Ermenegilli necem Childebertus, frater Jngundæ, cum Gunramo, armis ulcisci voluit. Sed exercitus eorum cum in inermes nullum libidinis genus omisisset, per insidiosa itinerum mulctatus. Dux ipse Tarentiolus Carcasone occisus, & quod reliqvum copiarum fuit, Gothis jugulum præbuit. Victor Leovigillus pacem à victis petiit: Sed clade sua ferociores alterum mox exercitum instruxerunt, qui itidem in Galliciæ finibus occidione deletus fuit. Cum nec sic pax placeret, Recaredus, exercitus paterni dux, bina in Galliam irruptione, damna late dedit, abvectis spoliis. Continua hæc clades Childebertum Mauritio imperatori conjunxit, ad Longobardos Italia pellendos, ut ejus postea milite in Leovigillum uteretur. Sed, deleto in Italia exercitu, Hispaniam postea invadere non audebat. Svevorum in Gallicia regnum post Patrem Ariomirum Eboricus tenuit. Hoc in monasterium truso, principatum Audicas invasit. Sed Leovigillus Audicam alterumq; tyrannum Molaricum præda abigens, extincto Svevorum nomine & imperio, regnum, quod 174 annos steterat, sibi subdidit. Tantis victoriis cumulatus 18 regni anno diem suum Toleti obiit. (Anno 585.)

Caput VIII.

FLavius Recaredus, quia circa prima regni sui auspicia Arianam hæresin exstirpare laborabat, multa sustinuit pericula à proceribus Arianis, qui nunc in caput ejus insidias struxerunt, nunc sumtis armis provincias totas concitarunt. Rebellantium capita fuere, Atalocus Sunna & Uldila Episcopi, tum noverca regis Gosvinde, & proceres Granista, Vildegernus, Vitericus, Vacrila, Segga,

ga, pluresq; alii. Hisce vero punitis, aut sublatis, ut rebellandi causam tolleret, congregato Toleti 72 Episcoporum concilio, rem cultus & religionis emendavit. Actis publicis ipse subscripsit. Balda item regina, Fonda, Afrila, Achila cum pluribus aliis procerum. Hanc itidem in rem plura alia concilia Narbonæ, Hispali, Cæsar Augustæ, Toleti, Barcinone celebravit; pro qua cura titulus ipsi Christianissimi, Catholici, Orthodoxi, gloriosissimi, piissimiq; à congregatis patribus datus est. Gregorius Magnus Papa, missis legatis, Sibi, regi, & toto Christiano orbi, istam pietatem & religionis propagandæ studium gratulatus est. Priores interim religionis turbæ Francorum reges ad sui vindictam invitabant. Childebertum tamen sibi reconciliavit Recaredus: Gunramus vero Aurelianensis, partam ad Carcasonem victoriam incautius persequens turpiter amisit, cæso Desiderio Duce, deletisque militibus. Hinc ira & malis amens, 60 millia militum, Austrovaldo & Basone ducibus, in ditionem Recaredi effudit. Illi vero inter se discordes, & sine disciplina militari securi, ad Carcasonem in insidias Claudii inciderunt. Solis quippe trecentis militibus pugnam capessens, inde, velut urgentibus impar, retrocedens, magno impetu insequentes ad dispositas insidias pertraxit & delevit. Et sunt, qui tam illustrem victoriam solis trecentis Claudii militibus attribuunt. Nec difficile fuisset Recaredo victum Grinturnum ditione sua spoliare: sed satis habuit obstinatum hostem à se repulisse. Badida mortua, Clodovindam, Childeberti sororem, matrimonio sibi copulavit. Filios reliquit Liuvam, Svintilam, & Acheilam: decessit decimo quinto imperii anno, (Anno 599,) princeps pace & bello egregius. Parentis successorem Liuvam 2. regni anno sustulit Videricus, firman-

mandæq; potentiæ causa, Hermebergam filiam Theodorico Burgundiorum regi desponsavit. Quam cum postea repudiasset Burgundus, in bellum erupit injuria. Neq; diuturnum Viderico fuit regnum, scelere quæsitum. Tulit id parricidii autor Gundemarus : & cum civium benivolentia administravit. Rebelles is Vascones domuit, feliciaq; ejus contra Romanos arma fata præpropera destituerunt. Sisebuti virtutes & facinora literatorum monumentis ad seram posteritatem celebrantur. Gessere multi alii paria, & forsan majora, posteris tamen ignorantur, quia ingenia & literas non invenerunt, aut non foverunt, à quibus immortalitatem consequerentur. Prima Sisebuti de Asturibus victoria fuit; de Romanis itidem bis triumphavit, urbes & castella, ad fretum Gaditanum, extorquens. Captivos tamen omnes Catholicæ religionis dimisit, persoluto à Dominis pretio. Convenit inde cum Heraclio Imperatore de pace, ejusq; in gratiam, crudele in Judæos edictum promulgavit, ut baptizarentur, aut decalvati, centumq; flagellis cæsi, Hispania excederent, & bona in fiscum redigerentur. Fuit Heraclius vanitatibus Astrologorum deditus, ab iisq; didicerat imperio suo à gente circumcisa exitium imminere ; itaque & ipse multa crudeliter in Judæos perpetravit; & Sisebutum impulit, ut gentem exitiosam regno suo exterminaret. Edicti severitate territi, 90 circiter millia Christianam religionem receperunt. Neque minor eorum numerus, qui ad Dagobertum in Gallia confugerunt. Sed & ibi paulo post Christum agnoscere aut capite luere sunt coacti. Vidit Sisebutus Gothorum magnitudini plurimum officere rei maritimæ imperitiam; navigandi artem proinde excolere cœpit; trajiciensque in Africam Mauritaniam Tingitanam suæ ditionis fecit. In sacra eorumque mi-

ministros, jura sibi retinuisse reges Gothorum, ex pluribus scriptorum locis manifestum est. Ita & Sisebutus Eusebium Barcinosensem Episcopum, quod Histrionibus potestatem fecerat parum pia quædam in theatro exhibere, ab officio removit. Qui si nostri temporis theatra vidisset, scholas nequitiæ & turpitudinum? Mortem ipsi attulit medicata potio, immoderate sumta. Venenum fuisse interpretabatur amor civium, quamvis nullum istius comparuerit indicium. Regnavit annos 8 & 6 menses, breve tempus imperii tam boni: filius ejus Recaredus puerulus & trimestris rex, majorem sui spem, quam documenta civibus exhibere potuit.

Caput IX.

Res in Africa cum Sisebuto præclare gestæ, & grata patris Recaredi memoria, sceptrum Flavio Svintilæ conciliarunt. Inerant ipsi, præter militaris scientiæ commendationem, plures aliæ dotes egregiæ: sollicita regni & justitiæ cura, fides in promissis, magnanimitas, modestia & munificentia. Vascones, Taragonensem provinciam infestantes, in ordinem redegit, & ad expiandam religionis culpam, templum propriis sumtibus ædificare compulit. Tenuerant Romani partem Andalusiæ & Lusitaniæ ab Atanagildi tempore, qui eos contra Agilam in Hispaniam induxit, belloque inde sæpius victi, fœderibus magis quam viribus suis nitebantur. Sed distracto jam Muhamedanis irruptionibus imperio, reliquias omnes Romani nominis & potentiæ Hispania exterminavit Svintila: junctis regno Cantabris, solus rerum dominus fuit. Felix, si in hoc gloriæ cursu decessisset; aut aliud ipsi periculum fortuna objecisset exercendæ virtutis. Sed in otio

& de-

& deliciis detrita generositatis fama, uxoris Theodoræ, Sisebuti filiæ, & fratis Agilæ imperiis obnoxius, plurimum odii contraxit; dubitantibus Gothis, isne esset, qui tanta prius virtutis edidisset documenta, indignantibusq; ab alienis arbitris dependere principem. Adjuvit odium destinatus regno filius Rechimirus, adhuc puer. Suffragiorum quippe libertatem tollit, qui de successore agit, ubi electionis jura obtinent. Igitur procerum præcipuus Sisenandus, ut regno eum pelleret, Dagoberti exercitum in Hispaniam traxit. Cui impar Svintila & à suis destitutus, sceptrum Sisenandro tradidit. Mirum certe, animum antea generosum eo vilitatis pervenisse, ut sui dedecoris minister fieret. Promiserat Dagoberto Sisenandus præstiti auxilii præmium, an honorarium, pretioso lapide insculptam ingentem auri pateram, magnificum Aetii donum, ob probatam Romano imperio virtutem Thorismundi contra Attilam in prælio Catalaunico. Hanc cum postea negaret, (traditam alii adfirmant, sed legatis in reditu ademtam) Dagoberti indignationem provocavit: quæ ne ad arma prorumperet, argenti summa satisfecit. Seculo inde & moribus emendandis concilium Toleti 69 Episcoporum coëgit. Multa in hoc concilio ad regni securitatem stabilita. Suffragiorum jus & libertas contra regni invasores adsertum: capitis causæ ab unius Regis arbitrio, ad judicum sententiam revocatæ: Onerum vacatio sacerdotibus concessa. Svintila cum uxore & fratre tyrannus declaratus. (Anno 641.) Post Sisenandum Flavius Chintila triennium, & Fulga biennium regnarunt, ambo principes egregii & pacis artibus conspicui. Multa in prioribus conciliis de libera regum electione provisa fuerunt; Flavius tamen armis se regem fecit. Sed vi quæsitam provinciam bonis postea artibus exercuit. Septimo

ptimo regni anno Flavius Reſeſvindum (Swen Reſe) omnium conſenſu in imperium cooptavit, publicisque in eum translatis curis, quod ſuperfuit ætatis, ſibi vixit. Reſeſvindus vero ut imperii molem facilius ſuſtineret, habitis Toleti comitiis, procerum & Epiſcoporum arbitrio multa bonis moribus ſuſtulit. Vaſcones tumultuantes repreſſit. Circa hæc tempora Abdala Muhamedanus Africam miſere vaſtavit: Gothis tamen Mauritaniæ Tingitanæ poſſeſſio remanſit. Regnavit Reſeſvindus 22 annos. (Anno 672.)

Caput X.

REgnum oblatum cum pertinacius recuſaret Vamba, procerum quidam, intentato pectori mucrone; Superbia, inquit, mon modeſtia eſt, quod ſuſtragia no-" ſtra differs: Si adhuc cunctaberis, impreſſo viſceribus fer-" ro contumaciam lues; ne jactare poſſis, Gothicum te " ſceptrum contemſiſſe. Primum illi negotium cum Vaſconibus fuit: Et horum exemplo Ildericus Galliæ Narbonenſis præfectus, pellecta nobilitate, rebellavit. Vixit in aula Paulus quidam gratioſus, græcæ originis & fidei, ſed qui materno genere reges Gothorum contingebat. Huic æmulorum ſtudia belli iſtius præfecturam conciliarunt: quo ab aula remotum facilius ſubverterent. Sed ille exercitus robore cinctum ſe videns, res novas moliri cœpit, rebellibusque, quos punitum ibat, ſe adſociavit. Conciliatisque Ranoſvindo Tarraconenſium Duce, & Hildegiſto Gardingo, Barcinonem Gerundum & Auſam in Hiſpania occupavit; tranſitisque Pyrenæis, Narbona potitus, multitudinem ad concionem vocavit: Vambæque ignaviam & ineptum imperio ingenium inſectatus,

alium eligendum ſvaſit, qui animi vigore & alacritate, regiæ dignitati par eſſet. Acclamatum ſtatim a Ranoſvindo, ceteriſq; factionis ſociis, non alium regno digniorem Paulo eſſe. Cui cum Ranoſvindus & Hildericus juraſſent, eorum autoritatem ſecuta Gallia Gothica & Provincia Tarraconenſis, regem accepit. Paulus, duplicato ſatellitio, coronaq; capiti impoſita, delectus militum inſtituit; Templis opes & theſauros in belli uſus abſtulit, facta ſpe reſtitutionis, rebus melius compoſitis. Vambæ inde ſuperbe minatus eſt, ſi regno, cui non ſufficeret, renunciare cunctaretur. Juſto dolore commotus Vamba, educto pro concione gladio: invitus, inquit, & „ cogentibus vobis regiam dignitatem recepi. Hanc „ virtus veſtra & hic gladius violatam vindicabit. Neq; „ Deus ſiverit Paulum impune nobis inſultaviſſe; vel ul„ timo meo periculo de proditore pœnas exigam, qui „ commiſſum ſibi excercitum in regem pariter & regnum „ convertit. Nam ſi tantum ſcelus inultum foret, actum „ eſt de regni noſtri ſecuritate, pluribus perfidiæ exem„ plo peccaturis. In celeritate ſpes omnis remedii ſita „ eſt: Si cunctabimur, coaleſcentibus conjurationis viri„ bus, impares erimus. Quomodo bellum adminiſtran„ dum ſit, perpendite. Ut dux vel miles primum me pe„ riculis offeram, ad aſſerendum regnum, quod veſtro „ ſudore & ſanguine paraſtis. Ervigius ingenio promtus, & multæ apud regem autoritatis, bellum per duces adminiſtrandum cenſuit, ut in tuto rex eſſet, ex cujus ſecuritate omnium ſalus dependeret. Amiſſo duce alium poſſe ſubſtitui: regum caſus regno ſemper funeſtos eſſe. Ad perduellionis iſtius globum, multis diſcordiis brevi diſpergendum, mediocris Ducis induſtriam ſufficere, regis præſentiam glorioſiori certamini reſervandam. Hæc in

Speciem

Speciem sollicitudinis pro rege. Vandimirus autem tempori magis consentanea consuluit. Minora nempe bella Ducibus delegari posse: ubi regni salus vertitur, principem interesse debere; cujus præsentia militi animos inspiret, & defectionis cohibeat audaciam: Neq; salubriter consulta, bonasque occasiones, mandatorum mora corrumpi, cum regis prætorium in castris fulget. Ducibus vero quantum insit fidei, ex Paulo jam documenta capiant. Si aulæ delitias respiciat Rex, ubi corona ejus in periculum vocatur, justam rebellium fore exprobrationem: sin vero in hosticum prosiliat, libenter secuturos omnes. In hanc sententiam consentientibus omnibus, tanta celeritate bellum confecit, ut intra septimum diem Vascones, gentem ferocem & inquietam, domuerit. Inde incredibili celeritate per Catagurim & Oscam in Cataloniæ fines pervenit: divisisque trifariam copiis, pars Castrolybium Ceretanorum caput tenere jussa, alii in Ausetanos missi; ceteri maris littus sequebantur. Rex ipse valido agmine præcedentium vestigia pressit, militaremque lasciviam tam severe punivit, ut nonnullis stupri accusatis virilitatem adimi præceperit. Barcinone dedita, rebellionis capita supplicio adfecit. Gerundam Episcopus Amadorus ipsi aperuit. Hoc progressu turbatus Paulus Ranosvindum & Hildegislum Pyrenæorum claustris; Vitimirum vero Sardiniæ imposuit; ipse vicinorum auxilia sollicitavit. Neq; minus tempori intentus Vamba, expugnatis in Pyrenæis Caucolibri, Vultuaria, Libyta & Causura, Ranosvindum & Hildegislum cepit. Vitimirus rebus suis desperans, Sardinia Narbonam profugit: cui mox à Paulo præfectus, securitatis gratia Nemansum concedente. Sed adveniens mox Vamba, Narbonam vi cepit, Vitimiro Archebando & Galicia ad aras

confugientibus. Eodem impetu Magalona, Agata, & Beteris in ditionem redactæ. Nemansum, à Vandemiro & 4 aliis præfectis obsessum, strenue se defendebat, muris tandem perruptis, portisque succensis, cum irruentibus resistere nequirent obsessi, in vetus præsidium, pridem à Gothis contra Romanos excitatum, se receperunt: non sine multa cæde, ob sparsum proditionis rumorem. Paulus, regiis insignibus depositis, ne agnosceretur, forte suo etiam judicio ipsis indignus, munito Theatro se cum suis inclusit, mori certus, aut honesta conditione deditionem facturus. Ejus exemplo ceteri, occupato urbis angulo, se defendebant. Duces igitur, rei gestæ gloriam regi cessuri, Vambam advocant. Victi autem Archebandum Episcopum ad regem supplicatum miserunt; qui quarto ab urbe lapide, in pontificialibus ornamentis, pedibus regis advolutus, victoris clementiam imploravit. Rex severa mansvetudine supplici & multitudini ignovit, reservata sibi sententia in rebellionis duces. Mox triumphantium more urbem ingressus, ingentem victis consternationem incussit. Theatro dedito, Paulus, Hildericus & Episcopus Gunildus cum 20 aliis rebellionis capitibus in potestatem venerunt. Paulus per capillum à militibus in regis conspectum tractus, solutum cingulum collo manibus suis circumdedit, ceteris perduellibus in terram prostratis. Tertio post die, carcere extracti, cum nihil in sui defensionem dicere possent, morti ignominiosæ adjudicati sunt: mitigata tamen sententia, carceri perpetuo mancipati fuerunt. Restauratis urbis mœnibus, destinata Paulo, Chilperici Francorum regis auxilia, quæ ductabat Lupus, dissipavit, finibusque præsidio firmatis & ejectis Judæis, quos Hildericus introduxerat, exercitum pro concione laudatum donatumque dimisit: Sextoque

que menſe Toletum rurſus triumphans ingreſſus eſt. Præcedebat Rex proditorum Paulus, coriaceam capite geſtans coronam. Ceteri mento & capite raſi, pedibusque nudi, carris vehebantur; adplaudente milite & ad ſpectandum effuſa multitudine civium. Toletum novis amplioribusque muris cinxit, ſtatuasque ſuas Portarum faſtigiis impoſuit. Saracenos Africæ jam dominos, & ducentarum 70 navium piratica mare infeſtantes, navali prœlio ad fretum Gaditanum, ſuperavit. Credidere plerique ab Ervigio ſollicitatos Barbaros, quod faſtigio regio imminens, turbari rerum ſtatum cuperet. Et confirmavit ſuſpicionem propinata regi leturgica potio: qua corruens cum nullum vivi ſignum exhiberet, tonſum monachali tunica involverunt, quo expeditior ad beatas ſedes commigraret. Evigilans inde, ſed veneni vi ablata mente, Ervigio regnum ceſſit. Quam fraudis neceſſitatem cum convaleſcens mutare non poſſet, voluntariam fecit, præcipue cum ſine civium ſangvine Ervigium removeri non poſſe perſpiceret. Vixit poſtea in Monaſterio Pampigenſi ſeptem annos privatus.

Caput XI.

Intellexit Ervigius verſutiam ſuam in adipiſcendo regno multis displicere. Itaque, ut favorem civium lucraretur, plebis onera imminuit. Vambæ etiam edictum ſuſtulit, quod infamiam illis irrogabat, qui ad militiam vocati, cum ſervis & clientibus non comparerent: quo onere Epiſcopi & nobiles gravabantur; ſervorum itidem licentiam, qui ad palatina officia & nobilium matrimonia irrepebant, coercuit. Cavit etiam, ne quis reginas viduas ſibi copularet in prioris mariti contemtum. Flavium

gicam, sobrinum Vambæ, nepotem Chindasunidi, generum & successorem sibi legit, collocata ipsi filia sua Cixilona; juramento tamen prius adstrictum, viduæ liberisq; regiis nullam injuriam irrogari passurum. Servavit promissum Egica quamdiu vixit Ervigius; sed, eo mortuo, uxorem Cixilonam statim repudiavit, odio soceri, tametsi filium Vitizam ex ea sustulisset. Oblivisci enim non potuit perfidiæ ejus in Avunculum; neque beneficium putavit sceptri cessionem, suorum securitati comparatam. Ervigio familiaris multum fuerat Sisebertus Archi-Episcopus Toletanus, qui vasto animo immoderata cupiens, in caput regis, cujus beneficio creverat, conjuravit; Francorumq; arma sollicitavit. Illis tamen compositis, Siseberto sacris & bonis interditum fuit. Fama tenuit, Judæos, qui Hispaniam incolebant, cum Africanis in perniciem Christianorum conjurasse. Regis proinde jussu in servitutem redacti huc illuc per provincias dispergebantur; liberique ipsorum Catholicis erudiendi tradebantur. Ne filii successio dubio suffragiorum favori committeretur, Vitizam regni collegam declaratum Galliæ præfecit. Regnavit 13 annis, princeps inter optimos & Hispanicis scriptoribus celebratus: ut crudelem insectatur Johannes Magnus: sed nullo ejus merito. Filius vero ejus Vitiza laudabilia initia regni lascivia mox sua corrupit. Veneris enim illecebris irretitus, liberum omnibus fecit, quotquot vellent, pellices habere. Clericis etiam matrimonia, aut si mallent, concubinarum commercia indulsit. Jubente Constantino Papa, ut legem abrogaret, an Alarici meminissent Romani, sciscitabatur? Brevi se effecturum, ut obsoletæ memoriæ characteres in superbæ urbis cineribus renovarentur. Mortis etiam pœna prohibuit, ne quis Romano Pontifici obedientiam præstaret; pluraq; alia

alia perpetravit, quæ quia melioribus displicere sciebat, ne in rebellionem animorum ægritudo erumperet, urbes plerasque mœnibus nudavit; arma etiam civibus ademit. Præcipue autem sibi timebat à Theudefrido & Favila, Charidasundi filiis, tribus Resesvindi, ne regii sangvinis memores vitam privatam ægre ferrent. Itaque Favilam, præfectum prætorii, & sibi fidissimum interfici curavit, ut uxore ejus frueretur, filiumque Pelagium interciperet. Theudefridum vero, declinandæ invidiæ causa, solitariam Cordubæ vitam agentem, utroque orbavit lumine. Sed elapsus filius ejus ex Recilona Rodericus, Romanorum auxiliis, tum & cognatorum amicorumque ope, Vitizam cepit, & in ultionem paternæ contumeliæ, ambos ipsi oculos eruit.

Caput XII.

QUod priorum regum virtute in Hispania firmum hactenus steterat Gothorum regnum, Rodericus temeritate sua & libidine evertit. Vitizæ filios Ebben & Sisebutum, ne regno imminerent, in exilium ejecit. Illi communicato cum Oppa, Toletano Episcopo, Patruo suo consilio, ad Comitem Rechilam in Africam abiverunt. Præerat tunc Mauritaniæ Tingitanæ Julianus comes Spatariorum (sic regii corporis custodes dicebantur) familiaris & consangvineus Vitizæ, vir magno ingenio, sed turbido & ambitioso, qui, Moderici causa, legationem in Africa apud Miramamolim tunc obibat. Ejus filia Florinda, electæ pulcritudinis puella, more gentis, in aula reginæ educabatur. In hanc exardens Rodericus, cum blanditiis pellicere non posset, vi stupravit. Pater, dissimulata ira & vindictæ cupiditate, in Hispaniam rever-

vertit: obſequiisque regem ita demeruit, ut ſecretorum omnium arbitrum ageret. In hoc potentiæ faſtigio conſtitutus, ultionis telam ſic exorſus eſt, ut homines ineptos & ignavos ad majora munera promoveret. Vitizæ filios, quo proditionem cum tempore adjuvarent, Regi conciliavit. Francos, ut Galliam Narbonenſem infeſtarent, inſtigavit, quo, converſo illuc exercitus robore, nudum relinqueretur alterum latus, per quod Hiſpaniam aggredi cogitabat. Impetrata ſic venia in præfecturam ſuam diſcedendi, filiam Florindam, matris ægrotantis deſiderium ſimulans, aula extraxit. In hoc itinere conjurationis ſociis confirmatis, comitem Rechilam, majoris fortunæ ſpe ſibi adjunxit. Inter hæc vetuſtum Toleti Palatium, cui regni fata incluſa ferebat fama, contra ſapientiorum monita aperuit Rodericus; & pro ſperatis theſauris, depictos Arabum vultus in linteis aræ incluſis reperit, cum hac inſcriptione: *Ab his exitium Hiſpaniæ Julianus, in Africam reverſus, auxilia à Muza, Saracenorum præfecto, petiit.* Ille re ad Imperatorem Flit-Miramamolim delata, 100 equites cum quadringentis peditibus dedit, majoris fidei cauſa retento comite Rechila. Mercatorum navibus in Hiſpaniam delati Arabes, cum, vaſtata ora maritima, multa in Africam ſpolia remiſiſſent, de Juliani fide amplius non dubitans Miramamolimus, 12 armatorum millia, Tariſa duce, miſit, ſibi in poſterum pugnatura. His turbatus Rodericus, ſobrinum ſuum Juningum, in aulæ delitiis educatum, exercitui tironum in hoſtem ducendo præpoſuit. Sed exercitu velitationibus attrito, & prœlio tandem cæſo, Duceque interfecto, Bœticam & Luſitaniam miſere vaſtarunt Arabes. Quo ſucceſſu lætus Miramamolimus, novum militum ſupplementum ſubmiſit. Igitur de rerum ſumma decer-


decernendum videns Rodericus, omnem bello aptam ætatem excivit; exercituque 100 millium in hostem tendit. Vectabatur curru eburneo Rodericus, quem 6 candidissimi equi trahebant, serico, auro & gemmis muliebriter cultus. Dexterum & sinistrum cornu Ebbe & Sisebutus, Vitizæ filii, ductantes, in medio prœlii fervore, ad hostem defecerunt. Fecit idem Oppas Episcopus, agmineque suo in apertum regii exercitus latus invectus, Tarifæ victoriam peperit. Rodericus, conscenso equo, cum residuis prœlium acerrime restaurabat; multitudine tamen circumfusus, victoriam pariter & vitam perdidit. (Anno 714) Ceciderítne in pugna, vel in vicino amne submersus interierit, incertum est. Cæsorum numerus, qui à victore semper initur, juxta fuit incertus. Tarifa, Juliani svasu, divisas copias per Hispaniam diffudit. Ab his ad Astigiam cæsi sunt, qui cladi superstites defensionem audebant. Captæque Corduba, Malaca, Granata, & Murcia. Tarifa, cum exercitus robore Toletum petens, urbem, prodentibus Judæis, cepit. Inde in Asturiam movens, Leonem & Astorgam expugnavit, perspectisque montium asperitatibus, Toletum retrocessit. Hæc victoriæ fama, Africam percurrens, Muzam gloriæ æmulatione stimulavit. Sumta igitur & ipse in Hispaniam expeditione, Medinam, Sidoniam, Carmonam, Pacem Julium, Hispalim & Emeritam, Filius vero ejus Abdalasis, magni animi juvenis, Valentiæ urbes & loca munita, in potestatem redegit. Sed cum nec adhuc Tarifæ gloriam æquare posset, invidia & æmulatione æger Toletum petiit, & haud dissimulato dolore, rationem rerum gestarum prædæque ab Tarifa exposcebat. Ille gratiam ejus apud Miramamolim veritus, dissimulata ira, tempori cessit. Quoque melius dolorem utrinque fraudarent, jun-

ctis viribus Cæsaream Augustam expugnarunt; Celtiberisque & Carpentanis domitis, universam sibi Hispaniam subjecerunt, non integro triennio evoluto ab primo ingressu. Miramamolimus, intellecta ducum æmulatione, utrumque in Africam evocavit. Et Muza quidem magna pecuniæ summa mulctatus, quod Tarifæ satisfacere non posset, animi ægritudine confectus decessit. Comes Julianus, Rechila, Ebbe & Sisebutus, qui patriam Mauris prodiderant, perfidiam inultam non tulerunt, ab ipsis Barbaris misera morte mulctati. Abdalessus, Hispaniæ præfectus, captivam Egilonam, Roderici conjugem, in conspectum suum Hispali venire jussit: & formæ ejus excellentia captus, amoris blanditiis tentavit. Illa, recrudescente dolore, lacrimans: „ Ad tuos, inquit, pedes captivam & servam, ex regiæ dignitatis fastigio, dejecit „ fortuna. Quid in me velis, victoris arbitrium est: non „ tamen patietur generosus tuus animus captivo corpori „ illudi. Utcunque capite meo regia corona ceciderit, „ sangvis tamen regius & animus remanet. Magnæ tibi „ gloriæ est, maritum meum, regem Rodericum vicisse: sed fœdabis victoriam, si libidine eam exercebis. Cor„ pori quidem maculam & ignominiam imprimere potes, „ non animo: quam sangvine meo mox eluam, cum non „ possim tuo. Ille generosa fœminæ constantia motus, promissa Catholicæ religionis libertate, uxorem eam accepit, ejusque svasu, temporibus mox diadema & Coronam circumdedit. Hoc solum infelicitati & dedecori Roderici defuit, ut Barbarum & hostem propria conjunx regem faceret. O! theatrum mundi, quæ unquam figurari potest Tragœdia, quam in te non repræsentent temporum necessitudines! Trecentos ultra annos steterat Gothorum regnum, & jam biennium suffecit ad illud destru-

en-

endum. Ultimus Gothorum in Hiſpania rex fuit Rodericus. Licet enim Pelagius Favilæ filius, ex regio Gothorum ſangvine deſcendens, novum in montibus regnum condiderit; Gothici tamen regni periit nomen: &, qui ſequebantur, Caſtellæ, Legionis & Hiſpaniæ ſe reges dixerunt, licet ex inclita Balthorum familia ortum traxerint, quæ tantæ in Scandia vetuſtatis eſt, ut ejus ignoretur origo. Horum ſeriem ab Recaredo ad Philippum usque 4:tum, non interrupto ordine, per 1030 annos hiſtoriæ celebrant Hiſpanorum. Quas calamitates exhauſerit, quæ crudelia fata pertulerit Hiſpania, Mauris & Arabibus per octo ſecula inibi graſſantibus, multorum eloquens deflevit facundia: tantique mali labem regum populiq; adſcripſit flagitiis. Igitur, cum injuſtitia & alia item ſcelera, imperia etiam florentiſſima evertit: tantum optandum eſt, ut rerum potentibus ea ſemper adſit cautio, ne imperio diſſoluto, juſtam in ſe ſuosque Numinis provocent indignationem, quod regnorum fortunam, pro cujusque meritis, adtemperat.

FINIS.



Ad

VERELIANAM
HISTOR. SVIO-G. EPITOMEN,
Typis Anno M. DCC. XXX impressam,

HYPOMNEMATA,

Ex plurimis paucula, non circa σφάλματα typothetica; Sed tam exſtantiores aliquot alterius Codicis Mſc:ti diſcrepantias, quam nonnullas Hiſtoricas obſervatiunculas ſtrictim exhibentia.

p. 14. l. 2. MSc. habet: quorum *numero* ſunt tâmteçà / la-res &c.

l. 26. Mſc. legit: conventu *Upſala* frequentabatur.

p. 17. l. 11. & 21. Mſc. legit *Ulmerugos*, pro *Ulmegavos*, & quidem rectè; nam ut *Ulmegavi* geographis ſunt vel ignoti vel perperam nominati; ita *Ulmerugi*, quaſi *Holmerugi*, quod inſulas incolebant, paſſim memorantur.

p. 18. l. 15. & paſſim in ſequentibus Mſc. legit pro *Carelas*, nomine apud alios vix obvio, *Curetes*, qui à *Carelis* vel Careliis longè alii fuerunt.

p. 21. l. 3, 5. Mſc. pro *Holbrotum* rectè legit *Hothbrotbum*, quod alii noſtrates faciunt.

p. 23. l. 12. Pro *Zetrâ* legit *Letbrâ*, idque rectè; ſic enim dicta fuit antiquiſſima Regum Daniæ ſedes, à qua *Lethrenſes* olim appellabantur reges Daniæ.

Mſc.

Msc. bene legit: *hostibusque triumphatis;* nam deesse vocem quilibet viderit. P. 24. l. 8.

Msc. pro *libertate* habet *regiâ liberalitate* incitatus, sc. dono armillarum aurearum. P. 25. l. 19.

Msc. pro *addicto* simplicius legit *additoque.* P. 34. l. 25.

Nomina feminarum, *Gerdta, Dviva* & *Aula*, aliter Msc. & Loccenius aliique scribunt, sc. *Gerdira, Driva* & *Aula*. P. 35. l. 7, 14, 17.

Msc. pro *placidarum* habet *placidas expeteret sedes*, sc. in *campis Elysiis*, quos majores nostri sub gentilismo sibi pollicebantur in *Walhall* aut *Grimle*. vid. Edda. P. 38. l. 2.

Alius, quam heic traditur, & procul dubio certus Regum Svio-Goth. seculo nono viventium, ordo est, quem adduxit & vindicavit Nobilissimus Cl. *Oernbielmius Hist. Eccl. libr. 2. cap. 26.* ubi probat, *Biornonem* regnâsse ab anno 780 ad an. 840; Hunc excepisse, sed sub intestinis bellis, adeoque incertis annorum epochis, *Sivardum Fro.* dictum, *Anundum* fratrem ejus in *Anundabræt*, Nericiæ loco cæsum, *Ingeldum Ilrada* & denique hujus filium, *Olavum Trätelja* seu *arborum cæsorem*, qui vivendo seculi hujus finem attigerit, si non superaverit. Pariter certum, eodem *Oernbielmio* indice & vindice, catalogum habemus Regum Svio-G. seculi decimi. Quô *Ingo Olavi dicti* filius regnavit in annum usque 948. Cujus filius *Emundus*, sub ultimis patris annis regno admotus, sed ob fines regnorum, inconsultis civibus, versus Daniam definitos, & imperio excidit & sibi cognomen *Sleme* i. e. *turpis* seu *mali* peperit. Itaque Patri *Ingoni*, anno 948 defuncto, surrogatus fuit filiorum alter *Ericus*, etiam P. 45. seqq.

Daniæ dominus. Quia autem hic *Ericus*, à superstitiosâ lustralis aquæ adspersione *Stenkill*, ab ubertate annonæ *Aarsell* & a felicitate armorum *Sigursell*, nuncupatus fuit; Hinc VERELIO nostro, uti *Joanni Magni*, *Joan. Messenio* &c. natus error ex uno *Erico* duos faciendi, cum tamen inter *Ingonem* & *Olavum Skotkonung*, non nisi unus *Ericus*, illius filius & hujus pater, regnavisse traditur. Quod ad pag. auctoris 49 & 50, probè tenendum est.

P. 46. l. Inter ἀντισοφήματα dudum rejecta est absurda
1, 2. recentiorum apud nos monachorum traditio de *Herberto* à Carolo M. emisso, primo O-Gothiæ Episcopo & Cathedralis Lincop. templi conditorê. Quis n. crederet, adeo magnificam tanti templi structuram, plusquam ducentis annis ante acceptatam à Svio-Gothis Christianam religionem, apud gentem idololatricam, à peregrino & egeno monacho esse fundatam, minus exstructam? Certè non probabile est, O-Gothos, gentem constantiæ laude inclytam, facilius, quam vicinos septentrionis populos, ab avitâ religione resiliviſſe. Vid. omninò D. *Ericus Er. Benzelius*, nunc *Episc. Gothoburg.* in *Prolegomen. ad Monum. Hist. Eccl. à p. 34 ad 44* hanc traditionem mole rationum conculcans. Quod ad rei hujus veritatem attinet, dubio omni caret 1. Cathedram seu sedem Episcopalem Lincopiæ primum constitutam, sub *Ingone*, inter Christianos Svio-G. Reges ejus nominis *primo* seu *seniore*, circa ann. Christi 1080 & tunc primum Lincopiæ Episcopum fuisse quendam *Herbertum* seu *Herbrictum*, cathedrali templo non dum fundato. 2 Fundamenta templi Cathedralis jacta esse architectonicè, sub Rege *Sver-*

che-

ebero 1, natione O-Gotho, inter ann. 1130 & 1150. Nam qui templum, hoc statuit tantummodo fundatum, nisi à potentissimo & magnificentissimo Rege, totius gentis, adeoque prius ad Christum conversæ, opibus suffulto, is templum Lincopiense Cathedrale aut nunquam vidit aut non considerat, quantæ molis & impensæ fuerit vel centesimam illius partem ædificare.

Msc. pro Odmarken habet Odmorden, & l. 22. lege *Stenkilli* (Erici) *filius* Olavus &c. P. 50. l. 20.

Pro *Annosum* lege *Jacobum*, sic n. in baptismo dictus fuit hic Olavi Skotk. filius, fratre suo successore minor natu, sed ex legitimo conjugio. Huic, post mortem Patris ann. 1026, rerum potito ad ann. 1051. successit frater natu grandior, sed ex impari matrimonio, *Emundus*, perperam *Slemme* dictus, (is enim vixerat seculo superiori, ut dictum est) rectè verò ab ætate *annosus*; & regnavit 10 annos ad annum 1061. Emundo autem. P. 53. l. 1.

Successit *Stenkillus*, Olavi Skotk. gener vel sororius; Huic autem ejus gener *Haquinus Rufus*, *Ingemundi* filius, 1067 ad an. 1080, quo illum excepit suus affinis, Stenkilli filius *Ingo* ab anno 1081 ad an. 1097. Quando surrogatus fuit *Philippus* Halstani, μικροχρόνου regis, filius, ad ann. 1107; atque post hunc frater suus, *Ingo Junior*, regnavit in ann. 1129. Successoremque fuit nactus filium, *Ragvaldum Knappbæfde*, cæsum à Danis in W-Gothia anno 1132. Atque hæc est certissima Regum seculi undecimi Chronologia. P. 55. c. 111.

Ericus Rex, *Sanctus* dictus, nequaquam fuit agricolæ vel rustici; sed Dn. *Jedvvardi Bondes*, Regni senatoris, & Cæciliæ, filiæ Svenonis Victima- P. 57. l. 19.

marii, filius; & denique Regis *Ingonis Junioris* gener; nam conjugem habuit *Christinam*, quæ *Ingoni* ex *Ragnilde* genita fuit.

P.58.l.9. *Helsingi* cum ceteris *Norlandis*, ductore *Falone Bure*, *hin eldre*, *s. seniore*, qui in hoc prœlio, ann. 1161, victor cecidit.

l. 19. *Stephanus*, monachus Alvastrensis, ord. Benedictini, anno 1163 ab *Eschillo* Lundensi Archi-Ep. præsente Papâ, consecratus est in urbe *Senonis*, quæ in Galliâ est *sens* dicta.

l. 26. Fanum idololatricum Upsaliense non stetisse, ubi nunc est urbs *Upsalia* & ejus *basilica*; sed in veteri Upsaliâ, quæ nunc *ruralis* est; illud, post acerrimas doctorum de eâ re disceptationes, extra omnem controversiam firmissimè collocavit b. m. *Joannes Peringschiöldius*, passim in *monimentis* suis; præcipuè *Uplandic.* sect. 1. cap. II. p. 160 seq. & *Ulleraker*. sect. II. cap. II. pag. 4. sequ.

P.59.l.1. *Esthones* à voce Gothicâ *Oester* dictæ fuere gentes, loca, quà ortum à nobis, transmarina incolentes, ut *Fennones*, *Carelii*, *Livones*, olim *Letti*, *Curetes* &c.

l. 14. Svercherus Rex in *Helgaraus* W-Gothiæ, olim *curiâ* i. e. aulâ, *regiâ*, anno 1205 omnes antecessoris sui, Regis *Canuti*, filios trucidari fecit, excepto natu minimo *Erico*, quem *Falo Bure hin Unge*, senioris nepos, lanienæ subduxit &, post aliquot annos, Norlandorum ac Norvegorum auxiliis stipatus, in regnum ac thronum avitum restituit. Atque ad hoc *duos Falones*, seniorem & juniorem, acerrimos regii sangvinis vindices, antiquissimum suum genus, si non ultra, continuata generationum serie, de-

deducit universa *Gens Burea*, adeoque illustrissima *Burensköldiorum* familia.

Erico Canuti, d. 10 April an. 1216 mortuo, sur- l. 28, 29.
rogatus fuit *Joannes Svercheri filius*, perperam *Puer* dictus; Electus n. est 1217 & coronatus 1219, obiit d. 11. Mart. 1222.

Cum *Carolus Magni*, Episc. Lincop. & qui cum p. 60. l. 4.
eo fuerant trans mare Balthicum profecti militatum adversus gentes, sint ab Esthonibus, de quibus modo diximus, trucidati in patriam reduces seu reversi; frustranea profecto fuit nonnullorum cura de inveniendo cædis eorum loco in Esthoniâ, Livoniâ Vikkiâve trans mare. In hac nostrâ Gothiâ ab irruentibus barbaris hæc cædes facta est. Unde *Joan. Loccenius in histor.* scribit, *hostes in Gothicam effusos, trucidasse duos Carolos. Episcopum & ducem aliosque, non procul Lincopiâ in Rotalum.* Sed quid hoc nominis est? ubi *Rotalum* in viciniâ Lincopiæ? nisi valde fallimur, *Rokella* est, prædium nunc equestre *Lagerfeldiorum*, non integro milliari Lincopiâ ad austrum distans. *Balthasar Rossovius* in descriptione Livoniæ habet *Rokel*, alii *Rotalum*, vel *Rokalum*, vel *Rotel*; sed incertissimi, ut de situ loci, ita de ejus nomine.

Licet plerique tradant decretoriam hanc pu- p. 61. l. 1.
gnam initam fuisse *in Uplandia*; non desunt tamen, qui illam retulerunt ad W-Gothiæ *Sparsetra*, aulam hodieque equestrem sub montem Billingen, quod *Ericus Rex* Gothicis & Danicis copiis instructus accederet. *Vid. D. Erici Benzelii* annotat: ad Vastov. pag. 60.

Quam præter & contra omnem Chronologiam p. 63. l. 6,
7.

fit, *Colonem* aliquem, *Birgero jarl Juniori* coætaneum, fuisse Episcopum Lincop. evidenter ostendit D. Ericus Benzelius, in suis ad monimenta Hist. Eccl. notis p. 248. seq.

P. 65. Ad calcem, pro Kumbis Msc. habet Philip III Runcby, quod procul dubio rectius est.

P. 67. l. 6. *Magno Birgeri Ladulås* tribuitur hic Rythmus: *Bonde, sæt knapp för lado och stall, Jag will tig wårda för öwerwald.* Obiit Rex in Wisingsœ d. 18 Dec. 1290.

P. 69. l. 27. Msc. ita legit: conscripto, *Rex Daniæ Ericus* Nycopiam obsedit.

P. 70. l. 31. Non *Finnis*, sed *Finvedis*, Smolandicæ genti, hanc rebellionem alii rectius forte tribuunt. Et tamen vetus Chronologus in *Monimentis Benzelianis* p. 91, ad an. 1318, inter vindices mortis Ducum, à fratre R. Birgero fame enectorum, recenset *Dominum Burgonem* (aliis Buggonem) *Smalandiæ Regem*.

P. 76. l. 12. Msc. aliter &, procul dubiô recte, ita habet: *In quibus* (Gothlandiâ & Oelandiâ) *arcibus dirutis direptisque opibus &c.*

P. 77. l. 7. Cum in Catalogo Episcoporum Aböens. Hunningus non occurrat; omnino cum Msc. legendum est: *Hemmingi*, qui natione Uplandus, in *Belinge* n, natus, ab anno 1341 ad d. 22 Maji, 1367, Episcopus Aboensis, post mortem in censum Divorum relatus fuit, & quidem anno 1513.

P. 108. l. 9. Inter voces *promissis superåsset* Msc. medium ponit nomen *Christierni*, quod etiam lectioni lucem adfert.

P. 115. l. 18. Pro *Jusione* legit Msc. *Jussonem* i. e. Joannem Eriks-

riksson; nam Jæns, Jæsse, Johan & Hans idem cum Joanne esse nominis, pueris notum est.

Msc. habet ante nomen Germaniæ monosyllabam præposit. è, quæ & heic requiritur. p. 117. l. 18.

Omnino ad Msc. legendum est à Gustavo *regi*, sc. in præsenti infin. pass. p. 118. l. ult.

Abest præpositio *cum*, quæ τῷ Teclenburgio est præmittenda; illam Msc. etiam habet. p. 121. l. 1.

Ab initio & quidem ante τὸ *compositum* Msc. habet vocem *bellum*. p. 124. 13.

Ita legitur in Msc. & procul dubio rectius: fretum *Oeresund* repetentes. p. 131. l. 7.


Legendum est, non *uteri*, sed, elisâ litera e, *utri*, sc. Stenoni, *parcere præcepisset rex*. p. 139. l. 1.

Msc. de pluribus loquens habet: *Transsylvaniæ Principes, Steph. Bathoris nepotes*. p. 156. l. 15.

Msc. legit: denique *in poloniâ* semper &c, quæ lectio sine dubio est recipienda. p. 157. l. 21.

Ceterum, quia ulterius, quam ad p. 160 historiæ hujus, typis impressæ, mihi non licuit perlegendo progredi; heic subsisto. In commemoratione rerum, ad nos propiorum, omnia plana sunt; & si quando quædam obscurius perscripta occurrerint, illa non auctori, sed exscriptorum calamo, imputari æquitas jubet. Sicut levissima hæc, festino oculo obvia, nequaquam ideo adducta sunt, ut vel auctor emendetur corrigaturque, vel lector erudiatur; Sed saltem ut huic, ubi aqua ei hæserit, innoxio conatu subveniatur.





INDEX
Rerum maxime notabilium.

A.

B.

C. Ca-

C.

F.

G.

In-

Re-

Ste-

FINIS.







